HIERONYMI

PERLINI

BINÆ HISTORIÆ

SEV

INSTRVCTIONES

MEDICÆ,

PHYSIOLOGICÆ, PATHOLOGICÆ,

ET THERAPEVTICÆ;

Quæ

Binorum identidem diuerſorum corporum muliebrium temperamenta, morbos, & morborum inſtitutas tentataſque curationes ſpectant:

VTRAQVE IN PARTES TRES DIVISA.

Quibus loco præfationis adiuncta eſt & prepoſita METHODVS *compendiaria ſcribendi huiuſmodi* HISTORIAS SEV INSTRVCTIONES.

EDITIO NOVA, AVCTA ET CASTIGATA.



HANOVIÆ,
Typis Wechelianis, apud hæredes Ioannis Aubrii.
M. DC. XIII.

ILLVSTRISS. PRINCIPI

SCIPIONI S. R. E. CARD. BVRGHESIO

PAVLI V. PONT. MAXIMI NEPOTI

HIERONYMVS PERLINVS dedicat conſecratque.

PERVETVSTVM *eſt (Illuſtriſſime Card.) frontes operum præſcriptione Viri poteſtate, vel virtute, vel gloria magni honeſtare: Et quemadmodum priùs ſola nominis clariſſimi adpoſitione, ſeu Genii Principis inuocatione & Auſpiciis id factum, ita deinde inualuit, vt hoc idem ſollemni epiſtola nuncupatione ageretur. Vtrumque autem æque vſurpatum eſſe video non alio fine, quàm vt auctores fortunam & claritatem ſcriptioni mutuentur, ac tutelam. Sicuti enim inſignia*

veſtra ædibus, Prætoriis, villis appenduntur ad decus, & contra vim, ac proteruiam; & multa etiam ideo pretioſa videntur, quia ſunt Templis dicata; ſic & nomina hæc ſacra ad ornamentum, & contra calumniam, aut liuorem præfiguntur ſcriptis alienis; & hæc eadem acceptiora, quòd vobis ſummatibus oblata. Vnde & à nobis hîc officium omne eſt, & debetur; & à vobis beneficium, & honos; idque omne eo ipſo accepimus; quoniam non offendimini, nec imputatis, dum & vobiſcum potiſſimum loquimur, taliaque nomina immortalia, ac veneranda ad ſplendorem, vt dicebam, tum & inſtar ſcuti terrentis nobiſcum aſſumimus in operibus forſan nec grauibus ac ſeriis, nec perennibus. Interim ipſe Tecum (Illuſtriß. Card.) triplici ſignato nomine, magno, neque penitùs vetuſto, neque recenti more, ſed modicâ epiſtolâ agere in præſens decreui; ac grates piè dicendo, breuibus ac vel leuiter attingere merita tua, diffusè celebranda, ac poſteritati ſeriò commendanda à decoris ingeniis, & temporum ſcriptoribus, quibus hæc cura, Genium vltrò aliquem æternitatis à ſe habentibus: Ea enim adeò eximia ſunt, & multiplicia, vt Cardinalitiam dignitatem adhuc etiam magis illuſtrent & inſigniant. Nam ſi poteſtas tua i n primis ſeu auctoritas expendatur, cùm PONTIFICIS DEIque in terris

Vicarii omnium maximi, & ſapientiſſimi cunctas quaſi functiones obeas, quis non videat Te nulli pene adæquandam poteſtatem habere? Ea verò eſt tua virtus, vt ſicuti in huiuſmet prima parte Religione, & pietate nimirum aſſerenda & retinenda voce, ac digito ſignaris in Vrbe probitatis, caſtitatis, modeſtæ grauitatis lumen & exemplar; ita in rerum magnarum cognitione, & in regendis, ac gubernandis prouinciis, & Regnis varia prudentia virtutis ipſius rectrice, certè directrice, atque vigilantia,

Cùm tot ſuſtineas, & tanta negotia, ſolus,

nec DIEM PERDAS, qui Te longo ſequantur interuallo, pauci; qui antecedant, nulli adinueniantur; ea ipſa prudentia impetus quidem à natura habente, ſed perfectionem & abſolutionem ab vſu & doctrina. Vti demum æſtimantibus ἐνδοξίαν ἢ τιμὴν*: id eſt, gloriam vel cum laude famam vix vllum inter veteres aut recentiores exemplum offertur, quod in hac ætate, in tanta rerum mole (habita temporum ratione) plus tuo laudari & extolli queat. Vt Te non modò magnum, ac bonæ & ingentis manſuræque famæ Principem; at qui etiam (ſi cum Plinio loqui permiſſum) beatum, cùm vel ob merita factaque tua ſcribenda (licet alibi) tùm ob alta, quæ mentis honeſtæ face ſtruis & agitas, ac in tempore magis promenda, appellare etiamnunc incolumem liceat. Plu-*

ra addere vellem; at ſiſtit me, & temperat ſuper propriam reuerentiam modeſtia tua & moderatio; atq, inſuper

——in commoda publica peccem,

Si longo ſermone morer tua tempora, PRINCEPS.

Verùm quod ore aut ſtilo parcè præſtiti, pleniſſimè facio in animo & ex animo, cultu & compoſita admiratione in præcognitam, venerandamque amplitudinem tuam affecto & concinnato: Inſimulque DEVM obnixè precor, vt Auunculum tuum SVMMVM PONTIFICEM, & Te ipſum longæuos ac vel dextrâ annos computantes (ait ille) nobis ſeruet & donet; vt diu, ſub optimis PRINCIPIBVS BEATISSIMO, &, vt dixi, BEATO, tranquillitate & pace, quod optimum aut optatiſſimum ſubditis, à vi, & iniuria tuti, ac propterea BEATI florenteſque frui valeamus. Quomodo non BEATI, ſi BEATISSIMVS Pater & Princeps DEI vices in terris gerens non ſolùm præeſt nobis, ſed prodeſt? nec ſibi tantùm populos datos, ſed ſe etiam populis arbitratur? ſique Huic ipſi ſpiritus ille cœleſtis ſemper adſiſtit, & inſpirando dirigit? Vt iure ſub tali imperio, imò cuſtodiâ vita noſtra opibus ampla, copiis locuples, virtute inſtructa, planeque BEATA ſit, ac æſtimetur. Sed iam deſino, iterùm memor quibus hæc dicam,

cam, me ac mea dicem; & quàm breues orationes aut ſcriptiones ſemper grata decoraque habeantur maximè apud Principes, qui ſæpe, vt Euripides dicebat, dedignantur laudes etiam meritas, præſertim breues & perituras, quamuis VESTRAS hic (optatiſſimi PRINCIPES) & HISTORIOLAS meas, non vt talia, ſed tamquam æterna futura & ipſe ſcripſi.

Romæ Kalend. Maii

M. DC. X.

PRÆFATIO

AC METHODVS COMPENDIARIA ſcribendi Hiſtorias, ſeu Inſtructiones Medicas. Conſultatio approbata.

QVO conſilio (benigne Lector) HISTORIAM hanc Medicam ſcripſerim, vt progreſſu, & ipſiuſmet lectione plene intelliges, ſic breuibus nūc tibi obduco: non enim diuulgationem affectabam, vel penſitabam: ſic habe; ſed hanc ipſam Opellam per Codicillos, & in morem Epiſtolæ vni aut alteri noto extero Medico de curatione huius corporis morboſi noua ineunda deliberaturo, & conſulturo priuatim mittere deſtinaram: Quod egi; nam in hunc, non alium finem à me condita eſt, Eorum luci, & Inſtructioni. Verum cum reſponſum ab Iiſdem vberius aſſenſu, quam conſilio acceperimus; in ſpem probati laboris, exiſtimationiſque noſtræ, vt fit, illico erecti ſumus: ſicquè iterum Libellum mox legendum, arbitrandum & adnotandum, (quod factitaſſe ſimiliter Plinium, antequam ſua lucem aſpicere ſineret, & publica iudicia exploraret, ex ipſomet ſcimus) duobus vel tribus amicis non minus doctrina, quam eruditione ſpectatis tradidimus; qui & ipſi cùm nec vllam effatu dignam notam appoſuerint, imo inſtitutum noſtrum, & ſcripti formam, vtpote vel ob ſingulare argumentum, nouitate quadam inſignem, diſpoſitione, & ordine iuxta commodam, ac doctrinis apte munitam, ſeptamque approbarint, & extulerint; editionem tunc non vltra diſtulimus, tùm perſuaſi non defuturos alios, apud quos par huic ipſi labori pretium ſit, vel æſtimatio, tum etiam, vt maior opportunitas, exemplariorum copiâ, Ægræ amantiſſimo Marito daretur,

Libellum in vſum, & ad vtilitatem vxoris ſuæ optimæ conditum circumferendi, & auxilium, præſidiumque, illo edito & emiſſo, hinc inde expetendi, & exſpectandi. Scripſerunt quidem tum Galenus, tum maxime Hippocrates varias Medicas Hiſtorias, atq; idem aut quid ſimile antiquitus effeciſſe pariter Empiricæ ſectatores, palam ſcimus; at nimis leuiter, & alio directi vtrique illorum huiuſmodi argumentum attigêrunt, pauca, præcipua, & admiranda duntaxat ſymptomatum vix de ſalute ægri iterum deliberaturo & conſulturo cognitu ſuffectura notantes, ſeu variis, & diuerſis ægrorum caſibus, & exemplis ſuggerentes: Et ſi quæ aliæ ſeu à veteribus, ſiue à recentioribus nobis legendæ præbentur morborum hiſtoriæ, vel minus perfecte contextæ ſunt, vel alio ducunt, nec in hunc, ſed alium σκοπὸν. i. *finem & vſum* directæ. A nouitiis iſtis varias Reſponſiones, & Conſultationes Medicinales habes; nullus tamen (quod viderim) Hiſtorias, ſeu (vt vocant) Caſus ſerio conſcripſit, quibus ſymptomata, vel τὰ συμβαίνοντα τοῖς ἀῤῥώστοις. i. *contingentia ægris* ſedulo referuntur, & exteris Medicis conſulturis ob oculos ſpectanda, & ex intimo conſideranda ſtilo, ordine, & ſerie obiiciuntur, ac ex vero repræſentantur. Eſto itaque tibi Hiſtoria hæc, munus iſtud accurate exſequens, veluti παράδειγμα. i. *ſpecimen*, & exemplũ vnum, imitamentis vſurpandum, μεθόδου. i. *rationis* concipiendi, & ſcribendi epiſtolas ad eos, aqud quos tanquam arbitros & moderatores de inualetudinis curatione, ac præſagio deliberatio omnis & conſultatio futura eſt. Diffuſum hac Hiſtoria me fuiſſe, inquies; fateor; ſed non confuſum, vel à ſcopo aberrantem: Strictius incede tu, diſcerne, & elige, at ſerua normam & ordinem, non ſit ex te, inquã, ἐξέτασις *inquiſitio*, vel deliberatio; verum cauſſas diſpiciendas; conſilium & valetudinis regimen ordinandum, medicationis modum atq; formam præſcribendam cæteris tunc relinque, ac ſcire, & non docere ἀσύστατα, res ſpecie diſpares prudentia (ô verum hic ſapere!) iunge; doctrinarum, inquam, indaginibus noli abuti, ſed alio ſtilum, & ingenii acumen verte, abunde tu idem ratus, ſi, quod rerũ tui ægri eſt, priuatim componas, & cõſcribas. Et ideo Temperamẽti & Conſtitutionis corporis ſubiecti per ſua ſigna ideam primum pone, clare, & expreſſe veluti penicillo deſigna; aliarum etiam rerũ tam Naturalium, quam non Naturalium circumſtantium, & in-

ſtantium

ſtantium modo huic ipſi materiæ perbelle attexto: Deniq; Morborum; & ſucceſſiue inſtitutæ ac tentatæ Curationis nudam ſimplicemq; *τὴν διήγησιν narrationem* concinna, & perſtringe. Idq; ſit in vſum, & ad lucem, animaduerſionemque tui (hunc ſenem in re & vſu exercitum optarem) Conſultoris, Adiutoris, ac Magiſtri, à quo conſilium, ſubſidiumque exſpectas ad ægri morbum profligandū. Et hæc ſit tua meta, ad quam collimas, ſtricte, & expedite præterita, & præſentia ἐξ ἱστορίας. i. *percunctatione audita, & cognita*, vel propriis oculis, & tactu vſurpata opportune & ſollerter adnarrans, ac per ſua veluti domicilia, & ſedes (vt ipſe feci) cuncta, quæ pondus in ſe habeant, examinanti obuium, digerens, & decore componens. Imo, ſi qua ſunt, de quibus dubitas, ea ipſa præcipue referenda ad Conſultorem, quippe qui vel cunctationem tuam regere vel ignorantiam inſtruere poteſt: Cætera Inſtructiones pene omnes in eandem cadent formam propoſito accommodatæ. Parem ergo ſemper tene, ſi non curſum, ſaltem portum, & hac vna via eas, ſi non vno gradu. Non attolles tamen, abſit, neque deprimes tuis verbis, & obnoxie ægri res Naturales, ſeu præter Naturam, ne præbeas, pigmentis & fuco, aut qua alia ambitioſa & ſeruili ſententia materiam errandi Conſultori, qui interuenit, etſi abſens, curationi & medicationi, quiq; ſuum conſilium, & iudicium ab Inſtructione tua, ad inſtar poſitionis, plurimum format, ac veluti expiſcatur, ſeu potius ſuper Inſtructionem tuam tanquam fulcrum, & baſim illud, tibi poſtea exſequendum & inſequendum, ſtruit, & firmat; ſed puriter & ex fide experta, deprehenſa, & notata prode, & ἁπλῶς *ſimpliciter*, quo nihil in hiſtoria dulcius, repræſenta: Atque ita ſcriptioni tuæ narratiuæ & adductæ includes cauſſas, quas ipſe hîc oſtendi & excuſſi de induſtria, & hoc conſilio. Primum vt ab illis Hiſtoria alteram vitam, ſeu promiſcuum ſic, ſublimioris διδασκαλίας. i. *doctrinæ* immixtione, ſpiritum acciperet: Vnde non male quiſpiam parte altera dicebat, Hiſtoriam citra rationem & cauſſam eſſe potius ἀγώνισμα *ludicrum*, quam μάθημα. i. *doctrinam*: Imo loco illius τοῦ ἠθικοῦ, καὶ πολιτικοῦ, quod decorum aut neceſſarium eſt veræ hiſtoriæ, quę narratio rerum geſtarum, magnarum & grauium; hic opportunum videbatur φυσικὸν & quod prudentiā medici, ſeu πρόνοιαν ſpectat. Quanquā etiā ſupra id animus ſcribentis inquies (ait alius) paſcitur

multoties ſic opere, ac pergit, & ſpatiatur, etſi poſſet deſinere, atque adduci. Secundo cauſſas addidi, quo vberior & accuratior penes exteros Medicos eſſe delatio hæc & Narratio grandis morbi, in quo, tanquam in Lerna malorum, hydram reperies. Tertio & poſtremo, vt in re cum fide & commendatione ſumma mihi iniuncta cultus & affectus mei in Ægram, huiuſque Maritum virum ſane egregium vberiori & diligentiori, ac proinde amica oratione aut ſcriptione copiam facerem. Non ſubtiliter vel tenuiter tamen aliquid ſuper Rebus Naturalibus, aut Morbis, aut Curatione diſputaui; ſed intra fines meos manſi, & ipſum tituli mei agrum colui, nõ excedens vſum & actionem *εἰσαγωγῆς Inſtructionis*, Narrationiſq;:id eſt Medicum agens Hiſtoriam contexui, in quam anxia inquiſitione non opus, ſed rem ipſam, & inſimul ſenſus meos aperio, ac reuelo. Hanc igitur veluti ad ſpecimen, & ſtudiorum oblectamentum tibi ingero; & libuit præmittere hæc paucula tanquam *ὑπόμνημα*, quo veluti capita rei continentur memoriæ mandãda, & loco vſurpanda. Enimuero cum duplex ſit *τῶν ζητουμένων εὕρεσις, queſtionis* ſcilicet *inuentio*. Altera quæ ratione aſſequitur cognitionem vniuerſalis & communis ſingulorum formæ: Altera per ſingularia ad communem & vniuerſalem perueniens; iure, cum HISTORIA ſpectet ſingulare, huiuſmodi vniuerſalis METHODUS deſiderabatur; etſi reciſa & velut arcte ſcripta, tum etiam præponenda erat; ſiquidem vniuerſali cognito, artifex circa ſingularia verſari, & ſeſe exercere commodius poteſt, quo demum perficitur ipſummet vniuerſale, arſque completur, & conſtabilitur. Et vt cum philoſopho finiam. *Conſiliari, eorum, quæ inter homines, diuiniſſimum puta*; Quo ſpectat & illud celebre Agamemnonis deſiderium (apud Homerum) *Vtinam mihi decem Conſultores adeſſent:* Apposite & Tacitus, *De maioribus conſulta omnes; ita tamen, vt ea quoque, quorum penes multos arbitrium eſt, apud præcipuos pertractentur.* Par & illud. *Plus repone in duce, quam in exercitu.* Ad idem ferme reſpexit Cic. illis verbis. *Omnibus vnde petitur, hoc conſili dederim, vt binas aduocationes poſtulent.* Et eſt vetus verbum Platonis *ἱερὸν ἀληθῶς ἐστιν ἡ συμβουλία.* i. *Quiddam ſacrum profecto conſultatio eſt.* Et fit dum plures ad res agendas vel pertractandas aduocantur conueniuntque ſermone vel ſtilo: Sermone & alloquiis veteres tum ob varias de re medica diſceptationes, tum ob ægro-

Conſultationẽ quiddam eſſe ſacrum.

ægrotantium morbos &curationem coire ſolitos fuiſſe hîc in Templum Pacis, nec non etiam alio, ex Galeno & Caſſiodoro plane conſtat: Stilo quomodo apte, id eſt, cum fide, explanatione, iudicio ac plena methodo idem fieri queat; vt quid nouum & fructus particeps, iure ex me, in parte, hîc habe, alias fortaſſe reliquum munus ſcilicet Conſultoris: ſcriptis illuſtratum & explicatum additur o: A quo iam Inſtructo Conſultore (vt id etiam addam) cum abſens ſit, ſolam deliberationem exſpectato; tum habiturus abs te vno (niſi conſocii præſentes curationis tibi ſint) agendorum decretum, Conſtitutionem, ac executionem, quas rebus ægri recentibus, vrgentibus ſpectatis, citra retractationem aut mutationem ad tibi ipſi denique delegatam, creditam, & commiſſam deliberationem appoſite conformabis, aptabis: Atque tunc impletum erit omne conſilium, vniuerſaque actio adprime cedet in vtilitatem, & gratiam Ægti, inque laudem tui. Et vale. Inſimulque breui Diſputationem meam de MORTE, cauſſa grauiditatis, abortus vel partus vberiorem & correctiorem exſpecta. Illud enim Opuſculum alias approperatum (in occaſione illa, & diſputationis actu & æſtu) nec limam, aut exactiorem curam admiſit.

HISTORIA MEDICA

PARS PRIMA PHYSIOLOGICA

TEMPERAMENTI SEV RERVM Naturalium Deſcriptionem, Contemplationemq; Continens.

HISTORIAM hanc noſtram commoditatis & diſtinctionis gratia in tres partes diſtribuimus. Primam partem τῇ φυσιολογίᾳ. i. *rebus Naturalibus, Temperamenti nimirum & complexionis conſiderationi contemplationiq;* aſſignauimus. Secundam τῇ παθολογίᾳ. i. *Morbis ac rebus præter Naturam* aptauimus. Tum tertia & poſtrema (quod reliquum) τὴν θεραπείαν. i. *Remediorum recenſionem, vſum χρείαν, & examen* continebit; obiterque pericula Ægræ imminentia, πρόγνωσιν, dico. i. *Præſagium* vna attinget. Et nedum hîc enarrabimus; ſed caſuum, euentuumq; rationes & cauſſas inquiremus, ſerie narrationis nihil omiſſa, aut læſa: Ita vt ſcriptum euadat ſimul narratiuum, ac αἰτιολογικόν. i. *cauſſæ redditiuum*, doctriniſque ſuffultum. Nam ad veram

Vera hiſtoria quid requirat. hiſtoriam requiruntur *Quare, Quomodo; & vltro quo Fine quicquid ſit actum* (in iis, in quibus electio) & an ex ratione ſatis ceciderit. Quidquid in ea reliqui, quæ hîc in parte aguntur, ſine confuſione aut noxa ſcripti ad vſum Conſultoris & Lectoris. Naturalia iam videamus, quæ variis rationibus vel primum locum ſibi vendicant; ſunt enim cæterorum principium & materies; ſiquidem præter illorum naturam morbi conſiſtunt, ac vt priora & ſimpliciora promptius etiam agnoſcuntur.

Mulier igitur nobilis, ſtatura corporis mediocri, cito viro tradita, εὔτοκος, ideſt, *fæcunda*, quæque plures partu felici tulit, ex vtroque

ſexu,

ſexu, filios, & hodie quadragenaria talis *τῆς κράσεως καὶ τῆς συστάσεως*. i. *temperamenti & complexionis* eſſe videtur. Ἡ ἕξις τοῦ σώματος. i. *habitus totius*, ſi à ſymmetria temperieque diſcedit, potius ad calidum, nullo interim in paſſiuis qualitatibus valido exceſſu apparente, quam ad contrarium inclinat. Porro autem huiuſmodi habitus (penes rem noſtram) colore tum cutis, tum capillorum; carnoſi corporis qualitate & quantitate lucet iis in partibus corporis, quæ præ oculis ſubiiciuntur, & muſculi nuncupantur: Gracilis quidem Mulier potius, quam obeſa cernitur: Caro tamen muſculoſi generis oſſibus ſuperimpoſita (vt Hippocratica voce vtar) *γυναικώδης effæminata* videtur: id eſt, lenis, mollis, glabra ac veluti laxata; & tangentibus item magis calida, quam frigida hæc eadem ægra apparet. ἐκτεθηλυσμένη Color cutis ſubalbidus olim citra ruborem, oleagineus inter aquilum candidumq;, nunc flectit ad pallidum, *ὠχρὸν* Græci dicunt. Capilli alias ſufflaui, ſeu fuliginei, vel eo ſpectantes, modo ſubnigri ſeu fuſci conſpiciuntur. Membra vero principalia, quorum potentia conſtant *αἱ δυνάμεις*. i. *facultates*, & dominatu regitur ipſa corporis vniuerſitas, impura ſunt, ac contrario prorſus temperamento, è normaq; & præſcriptione vniuſcuiuſq; propria egreſſo donata. Τὸ ἧπαρ. i. *iecur* calidum à natura & pauliſper ſiccum fuiſſe, par eſt credere: Venæ enim quadantenus amplæ ſunt, & vt olim bilioſo & calidiori, ſic nunc melancholico & atro ſanguine refertæ. Ἡ δὲ γαστὴρ, *ventriculus ſcilicet*, in quem cibi ingeruntur & concoquuntur, vt ante, ſic maxime hoc tempore ex læſa, vel lenta & tarda ipſius operatione in coquendo, & cruditatibus in dies maioribus aceruandis contraria deflexione frigidus & humidus oſtenditur: humidus, inquam, ratione illius, quod accidit, *τοῖς περιττώμασι*, ſolet dicere Galenus; ſiquidem reſpectu propriæ eſſentiæ ſeu materiæ, *τοῖς μορίοις*. per hanc ætatem, poſt tot partus, poſt tantos morbos, quin idem ventriculus non nihil ſiccus redditus ſit, vix mihi perſuadere poſſum. Κεφαλὴ δὲ, *caput vero*, vt minus recte formatum, ſic infirmum, ac gignendo catarrho tum accommodatum, miſera ſorte, Fœmina habet. Dentes enim ei ſunt *παρηλλαγμένοι*. i. *male poſiti, ſuperioreſque ab inferioribus diſtracti*, maxilla ſuperiori plus ſatis antrorſum producta; vnde Dentes exerti Plinio dicti; ac vltro eiuſdem capitis figura nimium ſphærica cernitur, deficientibus ambabus & iuxta ſynciput & iux-

ta occiput prominentiis. Præterea de capitis frigiditate manifeſta, cæteris etiamnum partem attingentibus patente, Mulier queritatur: Excrementa oris & narium modo nulla ſunt, dum ſcilicet materia temere ſubſiſtit, ac detinetur; alias copioſa, viſcida, craſſa; & quæ ore expurgantur, ſapore deſtituta: Facile a cauſſis frigidis offenditur iuxta hanc partẽ; atq; ipſo offenſionis tempore deſtillationibus, & grauedinib. capitur; vel pari modo obnoxie degit. Somni tamen nec longi nec profundi ſunt: Vigiliæ viceuerſa quandoque infeſtant; & crebro perturbatæ: Somnia habet imaginibus plena: Ideoque magna parte noctis pauida miris rerum imaginibus; vigiliarum, cubandiq; tædio, nunc toro reſidet, nunc Maritum alloquitur; vel tacita & mœſta iacet, iuxtaque *ἄλυν anxietudinem*, diſplicentiam ſui venit. Capilli olim multi & longi, nunc, ſeu inopia ſucci alibilis, ſiue meatuum cutis raritate, ſiue rheumatis praui affluxu, ac per illam partem tenui tacitaque expurgatione, pauci ſunt, deficientes; rari nimirum & detriti fractique; maxime circa *βρέχμα*. i. *ſyncipit*. Vnde Ægra coacta eſt detectum, & ſiminudum caput, aëris & frigoris alioquin impatientiſſimum, vario amictu velare, necnon ſtipare & muniri tum ob id, tum decori comparando, cultus omnis corporis, & munditiarum muliebrium ſtudioſiſſima, vel capillamento; appoſititiis ſcilicet capillis varie in id congeſtis, & adaptatis (vt mos hodiernus non diſpar ab antiquo) qui halitum eiuſdem capitis promptius propriis, & viuis cum excipiant, ac diutius etiam retineant, humecti atque vncti ſic redditi, ſyntimoria quâdam, plane & ipſi adaugent, non ſolum vberant & fouent humidam cerebri & catarrhiſeram intemperiem. Imo cum ita quaſſati tum corporis, tum maxime capitis mulier noſtra obſeruetur, vereque exiſtat; nedum frigore offenditur; atqui nec auſtrinas tempeſtates, vel æſtus facile tolerat: Naturæ mulieris tamen ea eſt bonitas ſiue teneritudo, vt facile labatur, & lapſa aſſurgat, nihilominus vt plurimum aut in morbis palam, aut eorum metu eſt, corpore (vt verbo Auguſti vtar) *betizante*. In partibus ſimiliter ſpiritalibus, præſertim *ἐπὶ τῆς καρδίας in corde* videlicet, non multum eſſe caloris, ex eo argui poteſt, quod exigui, non magni animi eſt Fœmina, pericula paulo infirmius expaueſcens; triſtis item, mœſta, ac malancholica apparet; leuique de cauſſa modo palam, modo apud ſe affligitur &

tur & conturbatur etiam ἀπάνθρωπος. i. *ſolitudines quærens & conſuetudinem hominum auerſata.* Secretum & ſilentium ipſius nō eſt, quod vſquequaq; à curis & ſolicitudinibus præſtes; læta tranſuolat, præterit; triſtia non demittit, tractat, & auget interpretando ac cogitatione; etſi non ſemper ſociat, abſtruſa & affectus maxime occultans; licet alias contra, modo melancholicorum, nimia ſit commemorandis tam animi, quam corporis paſſionibus, quas patitur: Imo poſtquam etiam affectuum reliquias effugit, ſuſpicionibus tamen inquietatur, Medicisq; iam ſana manum porrigit, &, omnem corporis ſui ſtatum calumniatur, ægritudinemq; interpretatur. τὰ δάκρυα. i. *lacrymæ* ipſi quoq; in promptu ſunt, quas non modo clam, ſed coram etiam ſuis, quaſi mœſtitia delectet, oculis profundit: & eo impenſius, ſi dolore ſuo ſolito capitis infeſtetur: Alias in pari mœſtitia eaſdem met abdit & operit luctum, quaſi eius pudeat; atq; tunc peius habet; ſuſpiriis, & internis curis prementibus, ac excitum melancholicum animum vaſtantibus. Coacta item, ſeu corporis languore, ſeu mentis mollitie ſexui annexa, iraſcitur; ac vt infrequenter, & ſæpe obſcure, deflagrante protinus iræ ardore; ſic quoad reſiduum valente memoria, extenſe & pene irreuocabiliter: Atque huius ſibi conſcia, eamque excuſat, quod ſit ſine odio, honeſta, & citra vlciſcendi appetitum: Hinc multa diſſimulat, & tacite habet iniurias patique ſtatuit procul à ſuperbia ἀπὸ τῆς ἀμετρίας, ac genere omni vindictæ: Attamen, vt libere dicam, morē gerit occaſioni, & pathemati. Ac ἐπιθυμία, ſeu importuna cupiditas crebro habet ipſam, recentium & nouitatum curioſam, ſic amant ſexus & Morbus. Quo fit, vt vere de hac nobili fœmina illud idem, in parte, affirmari poſſit, quod Hipp. narrabat de illa muliere Thaſia, nimirū eſſe τὴν δυσάνιον ἢ δυσάρεστον: Inde quorū fuit ipſi cupiditas, odium eſt; deſideriaque ipſa moriuntur, & cuncta faſtidit. Non ambigendum tamen, quin, præter temperiem, & ſanguinis modum, conditionemque, cordis ipſius μέγεθος καὶ διάπλασις *magnitudo & conformatio* maximam vim obtineant ad varias animi paſſiones gignendas, fouendas & producendas; atque id tetigit Galenus *in lib. de Plac. Plat. & Hipp.* ſcribens, eos eſſe animoſos & audaces, quibus cor exiguum. Verum ſi qui, ex prædictis, motus affectusque minus laudabiles, nec vllo modo intra pectora humana coalendi haud li-

bere in factis, verbis Huius aut vultu deprehenduntur, eſt, quoniam ratio & temperantia inſtitutis moribus comparata eas ſupplantant & deiiciunt, vel ſaltem mitificant,& operiunt animi paſſiones, quas profert,& effert mala corporis inſita valetudo: Quinimo pari ratione,ob leges, aut inſtitutos mores ſuper lenitatem, & modeſtiam ſaltem in ſenſu, ſatis piam & Religioni deditam Mulier ſe exhibet, & manifeſtat, aſſidua in ſacratis occupationibus, precibus, locis; huicque ſtudio ab ineunte adoleſcentia iam ſe dedit: Religioni poſtea proxime adhærent variæ virtutes, quas hîc enumerare ſuperuacaneum puto; cum vnicuique conſtet,quantum poſſit Religio in componendis animis & moribus. Sed hæc obiter, & perfunctorie non vt in laudes eamus illius,cuius valetudinis Hiſtoriam conteximus; at hæc leuiter attingere fas erat, tum ob affinitatem,quam mores innati habent cum temperamento, ideã cuius nunc ſedulo inquirimus;tum inſuper, vt manifeſtum vna fieret ius & imperium,quod inſtitutum vitæ,mores, inquam, ex præceptis comparati tenent in eoſdemmet connaturales, & inſitos affectus pro parte,noſtro in caſu,perſtrinctos. Nam res ita habet; elucent hi; at ſalua Religione cum ſibi proxime adhærentibus virtutibus; Et Mulier ad has it,ab illis non abit. Sed forſan nimis digreſſi ſumus.

Thoracis forma (vt Enarrationis inſtitutum ſequar) ſtricta non lata deprehenditur, quæ ſeu vt cauſſa, ſeu vt effectus eandem, vna cum cęteris haud pridem narratis ſignis,Cordis frigidam intemperiem,tum & animi aſſertam infractionem, demiſſionemq; teſtatur & adfirmat.Κοιλία.i.*aluus* bene fluit,ſæpe mollia excrementa & figurata deponens,alias tormine fugaci & leui liquida atq; ſtridula ducens,modo bilioſa & atra,modo etiam cruda & pituitoſa. Τὰ οὖρα. i. *vrinæ* non admodum coloratæ viſuntur,modoq; clarę ſunt & ſubtiles,ſæpius craſſæ,ſpumantes,ac multam fœcem deponentes:Καταμήνια.i. *menſes*,qui multis beant commodis ipſum fœmineum ſexũ, dum probe & decenter fluunt, huic ægræ noſtræ tempore elapſo, vigente,conſtanteq; magis ætate copioſi quadantenus fuere,luxurioſamve ſanguificationem habuit Matrona; vnde forſan decoræ fœcunditatis, & vberrimi fructus vteri opportunitas emanauit;in cæteris ipſimet Mẽſes parũ laudabiles ſe ꝑbuere,ac min⁹ hodie præbent,

bent,vt dicam mox plenius,cum de Morbis fiet ſermo. Octodecim vtero geſtauit; ſemel abortiuit, fœtu mortuo eiecto circa octauum menſem,vel Huic ſemper grauiorem. Cætera grauiditates ſatis planas experta eſt, niſi cibi faſtidio quandoque circa priores menſes apparente. Partus felices fuere, ſuperſtite fœtu, tum vel ob labores ad ipſum partum conſectarios modicos: Puerperia tamen nonnumquã ægre fluxere; ac proinde aliquot partui ſuccedanei morbi ſuborti ſunt, quos enumerare vel proſequi vanum. Pauidam tamen atq; anxiam toto hoc grauiditatis tempore maxime prioribus menſibus ſeſe exhibet Fœmina, ac minimis morborum ſuſpicionibus præter modum commouetur;ſuperq; pręſentia & inſtantia diſcrimina,falſos pauores induit, vt familiare melancholicis,euanidã eſſe grauiditatem,ac inſidioſa menſium ſuppreſſione ſemet detineri,cui vitio,vt dicetur in loco & tempore,Ipſa obnoxia; nec vllis ſolatiis vel rationibus demoueri poteſt ex eo, quod ſuſpectat,niſi palam facta grauiditate,& tranſacto tempore,quod ambigit.

Circa *δίαιταν.i.victum & vitæ inſtitutum* alias fere nullum delectum ſeruauit; nunc impar grauioribus erroribus facta, tum & conſtantia firmior,ac periculis etiamnum deterrita non male ſe gerit,poteſtq; Medicus,cui hominũ ordini audiens Fœmina,inſtituere victus ratione pro vt vult. Non nego tamẽ,quin in aliquibus delinquat;nam nobilis eſt Mulier,& affulget fortunę obſequiis,in quibus non ſatis cauta mortalitas; præterea natura,educatio,adulatio eodẽ trahunt, ac deprauant;ſed quod ad ſummã ſpectat, graues errores nõ admittit: Corporis etiam & valetudinis rector, vtiliũ & noxiorũ oſtentator Medicus menſæ,omniq; aliæ œconomiæ Ægræ aſſidet, nullius ſeruilis ſententiæ auctor,& quoties neceſſitas ingruit,prudẽter moderãs: Vitã degit Fœmina otioſã & ſedentariã, vt familiare huic ſexui,Ipſa aliquoties,ne vacue agat, manib. ſuis opera muliebria è lino aut ſerico faciens: & virgines ac ancillas ſuas eodẽ ducens: Alias geniculata vel ſedens preces ad Deũ fundit;modo etiã cœtũ ſalutãtiũ mulierũ exſpectat, & excipit, vel pari officii & comitatis genere cũ eiſdẽ certat, ſalutationes & frequentationes largiter reponens: Et in hoc ipſi Ægrę libido quædã eſt,haud tamẽ vitio vertẽda,quod ortum ducat à bono fonte,comitate nimirũ è curis & ſolicitudinib. emergẽte,& ἀπανθρωπίαν cõprimẽte,tũ & à ſolitudinis ſibi pernicio-

ſæ vitandæ ſtudio, cui addicta ſeceſſui inimica; vt varii ſunt & penè diuerſi impetus ac mores Melancholiæ: Sic enim melius arcet cogitationes & omnem triſtitiam, ipſiſque congreſſibus, alloquiis, & ſermonibus; vti pariter feriis, & ſpectaculis ſeu ludis, omnique alia ludicra & honeſta voluptate, in parte, leuatur: Melancholiam, dico, mitigat aut mergit. Hæc ipſa tamen mulier ἀργὴ. i. *pigra* cernitur (de hoc erat ſermo) ac minus cæteris libere mouetur, laboris impatiens, quod infirmior ſit oſſibus, neruis, muſculis, & robore mouendi; corpuſque vltro ineptum & inconcinnatum moueri & portari ſortita ſit: parumper enim gibboſa eſt, tum & abdominis, ſeu à primordiis generationis, ſeu à multis iam annis, magni & proiecti; forſan quia, præter alias cauſſas, eſt μεγαλόσπλαγχνη. i. *viſceroſa.* Quieſcit ideo libenter, pedibus non temere ambulans; cum moueri, deambulare, minus ſcalas & accliuia aſcendere, vel ex iiſdem deſcendere, abſque labore, & anhelitus difficultate, vix queat: Quinetiam ſubita deuexione ingredi, ſtare, colligere ſemet, ac ſuſferre haud valet, maxime vtero grauido, eoque ſolutioni & leuationi proximo. Imo ὀρθοστάδης. i. *erecta* hæc eadem fœmina, ſuaque mole corpore conſiſtente, fatiſcit; nec ſatis libere ſpirat & exſpirat: Difficultas tamen hæc, & anhelatio motionis corporis effectus ſedatur, vel miteſcit, quieſcente ſedenteue pacate Matrona. Hæc cuncta exponenda erant, tum & præmittenda; nedum quia perquiſituris nobis morborum ſymptomata, & ſymptomatum naturam, aut generationis cauſſas admodum (vt tetigi) præluceant Naturalia veluti confines Pathologiæ & Rerum præter Naturam; ſed etiam quoniam, vti ad vitæ præſagium, & interitus præſentionem mire illa faciunt; ſic pariter Cuſtodiam valetudinis, Curationem morbi recte inire, inſtruere haud poteſt Conſultor Medicus citra exactam & abſolutam cognitionem Temperamenti & Complexionis, è quibus cæteræ Res Naturales, Medicis dictæ, immediate manant, ac velut è fonte proſiliunt. Sunt quidem omnia prænarrata maiori ex parte Mulieri innata & connaturalia; at partim etiam aſſumpta & aduentitia; ſiquidem δίαιτα, quæ conſiſtit in victus ratione, & vitæ inſtitutis, καὶ φύσις. i. *natura* mutuas tradunt operas ad ideam, quæ cernitur ſic in temperamento & complexione, ac reliquis temperamento & complexioni annexis.

PARS

PARS SECVNDA PATHOLOGICA

Seu de Morbis vel Rebus Præter Naturam.

CVM talis igitur ſit ſtatus naturalis, turbidus videlicet & inconcinnus, cum talia, dico, ſe afferant atque oſtendant partium principum intemperamenta diſſidentia à ſe inuicem, ſecumque diſcordantia, iure Mulier improſpera valetudine omni tempore vſa eſt, variis, inquam, præter naturam *liquido* affectibus fuit, & eſt adhuc, in parte, obnoxia: Dum enim huiuſmodi intemperamenta parum inter ſe concordantia, quodque res ſuas agunt, omnia paulatim vincuntur, dum ſingula pugnant (vt ſic dicam) ſe partibus nimirum, & diſſentionibus conficiunt; detenduntúrque dum intenduntur; ac morbus inualeſcit; qui à tali diſſidio vt ſui primordia duxit, ſic continenter fomenta habet. Addidi de induſtria aduerbium hoc, *liquido*, propter antenarratas inſitas imbecillitates nondum diæta coalitas, & patefactas, quæ non ita palam præter naturam ſunt, etſi non ſecundum naturam. At rurſus, genere hoc rerum præter naturam vero & proprio ſic conſtituto, omnia tamen complectendi nec mihi cupido inceſſit, nec res exigit; & ideo omittens ipſe interea antiquos, fugaces, & tranſactos morbos, nullum certum apparatum, nullumque ius in corpore Fœminæ hodie habentes; attingam ſeorſum præſentes; vel ſi ſolutos & præteritos, eos priuatim, qui materia aliqua ſui & empyreumate perſiſtente, vel ipſimet anniuerſarii ſunt ac certo tempore recurrentes, vel aliorum imminentium, & neceſſariorum conſocii putantur, & accerſitores, quique ſymptomatum nexum quendam, & cathenam veluti fecere. Diſtinguam tamen per tempora ſeu per ſingulos ætatis fœminæ gradus, tum per morborum claſſes, ne confuſio fiat, & ſerio hoc ipſum etiam agemus, quod non agimus. Cum itaque (vt hinc

exordiar) ægra noſtra cerebrum imbecillum ita habeat, mireque excrementoſum, frigidum & humidum, ſi non ratione proprię ſubſtantiæ (quæ pura cenſenda, cum ingenio, ſenſibuſque internis ſatis valeat) ſaltem per accidens; dum materia hæc catarrhoica è capite vario caſu expreſſa ad inferiores partes deſcendit, varios idea, pro ratione & diuerſitate partium, quas petit, irritat, & obſidet, infert quoq; morbos.

Et vt antiquiores origine, primi etiam in examen veniant, vel ob hunc deſcenſum materiæ crudæ & pituitoſæ à capite ad partes ſubiectas contraxit Fœmina πρὸ τῆς ἥβης. i. *ante pubertatem*, in ipſa ſcilicet tertia pueritia, nulla externæ cauſſæ culpa, ſed ſponte, & ſenſim (vt fieri aſſolet) commemoratam ἰσχιοϑοκύφωσιν. i. *gibboſitatem*, fauente vna huic rei iampridem agnita, innataq; oſſium debilitate. Dorſum enim iuxta ſcapulam dexteram parumper extuberat; & eminentius eſt, ſpinæ incuruatione: Pectus porro introrſum viceuerſa accurrit, ac veluti lacunam quandã in ima parte circa mucronatam cartilaginem format: Vnde maior ipſi pectori adſtrictio, minuſque libera reſpiratio, præcipue per motiones corporis. Hęc eadem redundans catarrhalis materia naturæ contentione è cerebro paſſim detruſa, ſi pectus & pulmones petit, modo tuſſim parit, modo difficultatẽ reſpirandi, cui natura (vt dicebamus) vel habitudine, ſpirabilium nimirum contumacia, procliuis eſt fœmina. Dum enim irritat, & moleſtiam infert, tuſſim ſuſcitat; ſicuti dum vias ſpiritales anguſtat, ꝓ vario vitii diſcrimine, modo; ſic diuerſos difficultatis anhelãdi gradus procreat. Quamquã pulmones hîc non tantum humorem ſeu pituitã admittere; atqui ſæpe à ſe addere, & inſpergere cernes; quod partis eiuſdem imbecillitate, vitioq; innati intẽperamenti fit. Quod ſi talis materia è cerebro proſiliens ac fluens, in aluum ſeu γαστέρα tranſmittatur, adhæſu & immixtione ſui, vt frigida, vel aliis prauis qualitatibus affecta interturbat & confundit coctionẽ, ſucceſſiue inficit ſanguinẽ; fœdatq;, magno valetudinis detrimento, ſuccum vniuerſitati corporis alimentũ futurũ. Si vero circa locũ ſuæ generationis, & vbi primũ aceruatur, ſubſiſtat hic idem humor, exitũ liberũ minime habens, neq; exſudans, modo ſimplicẽ capitis grauitatẽ (capipleniũ, recenti & ficto nomine, hodierni Romani Medici appellãt, καρηβαρίαν dixere Græci veteres) modo ſi copioſior, & cõtuma-

tumacior ſit, ingentes eiuſdẽ partis tendẽdo, grauando, ac etiã nonnumquã vellicando infert dolores, continentes quidẽ afflictionis tempore; at ſæuiores noctu, qui doloris cruciatus crebro exiſtunt cum ſenſu illo triſti frigiditatis. Id autem cœpit fieri multis ab hinc annis, contingitq; ex interuallo, maxime ad hyemẽ, & eo præcipue tempore, quo Mulier febribus vexatur, vel aliud graue malũ opplẽs caput ipſam tenet. Hos cruciatus frequenter lacrymæ, alioquin Ægræ familiares, comitantur, triplici (vt ipſe intelligo) cauſſa. Prima quia oculi ob frequentem motũ & nictationẽ trahunt ad ſe humiditates in capite redundantes. Secunda quoniã humiditates oculorũ tenues cum ſint ob crebrũ motũ facile elabũtur è meatibus. Tertia cauſſa eſt copia ipſius materiæ onerantis eas oculorũ partes. Addo inſuper ipſe illacrymare hoc tempore fœminam Melancholiæ, affectuumq; cordis tacita quadã exacerbatione: haud magna enim mole Mulier prompta mœſtitiæ trahitur in luctũ, ac triſtium cogitationẽ & opinionẽ. Tempore hyberno, duobus vel tribus ab annis, vngues & extrema digitorũ præcipue ſalutaris, & medii manus ſiniſtræ interdum huic mulieri repente torpeſcunt, & liuida inſtar corporis mortui vna fiunt, etiam ſi huiuſmodi partes cuſtodiantur, & muniantur aduerſus inclementiam aeris, & abſque quo quicquam tale contingat cæteris corporis partibus identidem extimis; malum tamen eſt fugax & ad tempus, nec ſtabile. Simili vitio obnoxius fuit etiam Auguſtus (referente Suetonio) Qui dextræ manus digitũ ſalutarem tam imbecillum quandoq; ſentiebat, vt torpẽtem contractumq; frigore vix cornei circuli ſupplemento ſcripturæ admoueret. Et quemadmodum certus ſum liuiditatem, ac puniceum illum colorem huic ægræ noſtræ immediate fieri ob νέκρωσιν, ſeu defectum ſpiritus, ſanguinis, & caloris natiui illis in partib. procul ſitis à corde fonte vberrimo τῆς συῤῥοῆς; ſic viceuerſa anceps non nihil ſum de origine & cauſſa impotentiæ, ſeu ſtuporis vna cum liuiditate accedentis, qui ſtupor maioris momenti cenſetur, magiſq; exturbat. Crediderim tamen ipſe, huiuſmodi ſymptoma non aliunde proficiſci, quam à denegato vtriuſq; facultatis, tam vitalis q̃ animalis influxu ægræ huic parti: Cuius binæ interceptionis facultatũ duarum genere (vt dicunt) diuerſarum vna cauſſa communis vel par ſpecie & origine videtur; tum arteriarum ſcilicet, quæ ductus

ſunt & via, per quam vitalis facultas à corde influit per vniuerſum corpus, tum neruorum animalis facultatis riuulorum æqualis conſtrictio & condenſatio, vno & eodē tempore facta occurſu frigoris acutioris externi, quod in totum hyemali tempore vitari, & arceri nequit. Altera cauſſa partialis eſt, tangitque ſeorſum dictos neruos ceruicales nimirum, qui propagantur in manus: Hi ſiquidem nerui vltro etiam oppilantur, opacique ita fiunt præ copia vaporis craſſi in ſemetipſos ſuſcepti, vt dictæ animali facultati admittendæ & ducendæ, quo opus eſt, inepti hac noua ratione, illo eodem temporis momento, reddantur: Conſimilis autem vaporis materies & generatio eſt cruditas & excrementum cerebri ſæpe in hac muliere repleti & ſtagnantis. Impedita itaque facultate vitali, cuius influxu partium viuacitas recreatur, atque reficitur contra omnem vim calamitoſam, pars liueſcit, & impar vna fit excipiendæ à cerebro venienti facultati animali; ſiquidem calor natiuus eſt commune & promiſcuum inſtrumentum aliorum principatuum; fulcrum & baſis omnium facultatum: Quare & ob id, & quia minus libere etiam diffluit huiuſmodi facultas animalis, dempta ſibi alia cauſſa libertate; propterea ſequitur *νάρκη ſtupor*, ignauia; natura & ratio cuius conſiſtit in *δυσαισθησία*. i. *ſenſione obſcura* earum partium, quas occupat. Verum enimuero cum *κ(αὶ) ψῦξις νεναρκωμένη*. i. *frigus torpidum*, atque etiam liuiditas eius ſoboles fiant noſtro in caſu *προφάσει cauſſa* nimirum *prægreſſa & externa*; vel ſi interna hac leui & momentaria, mirum eſſe non debet, ſi cito tranſeant, & calidi fotu vel admotione ſoluantur, vnguesque prædicti, & digitorum extrema ſenſum amiſſum & nitorem recipiant, ac de nouo naturaliter colorentur, & incaleſcant. Cur autem id ſymptoma ſeorſum huic parti, & non cæteris accidat; nec influat, aut ſe diffundat, cauſſam cenſeo eiuſdem partis obnoxiam imbecillitatē, effectū alicuius dyſcraſiæ natiuę, aut diæta, id eſt, victu, & inſtituto cōparatæ, quæ dyſcraſia ſicuti intenditur & excreſcit frigoris exceſſu & occurſu, & ſubinde errorum dictorum præſentia; ſic eorundummet abſentia & fuga illico miteſcit, redintegratur, affectionemve depellit. Et forſan hac in re culpari poſſet cauterium brachii, quippe quæ cauteria, quamuis ſubleuent ægrotantes, ſæpe tamen partes, quas inſident, deducunt ad quandam imbecillitatem, vt experientia, quæ

rationi

rationi innititur, palam facit. Subaddere etiam poſſum, veriſſimum eſſe illud, quod ſcribit Ariſt. nimirum ſiniſtra præcipue in homine frigidiora & humidiora exiſtere dextris; imo ob id Hipp. *libr. 3. de morbis* adnotabat & ipſe, ſiniſtra dextris imbecilliora eſſe, & morbis magis patêre. Extrema vero digitorum priuatim id malum patiuntur propter caloris paupertatem. Pari ratione etiam primæ omniũ manus, vel extimi digiti ſenſum exhibent perfrigerationis in eiuſdem caloris retractione vi febris ardenter acutæ. Non ignorandum inſuper, vaporem hunc brachium alterum, vel manum præcipue petentem aliquoties copioſiorem in partem irruere, neruis prætermiſſis, atque ſic tendendo & grauando, ac etiam refrigerando, ſtupore nullo tunc apparente, dolorem leuem quidem, ſed diuturnum, ſerpentem, varium, inconſtantem, aberrantem, & influentem parere. Generatio iſthæc & coaceruatio materiæ caput replentis, merito cuius Mulier nunc catarrhoica, nunc cephalalgica cernitur, perennis fere & adſidua hodie exiſtit, variis rationibus. Quidni? cœtus enim & mixtio quædam variorum vitiorum concurrit ad ſuam aceruationem: fit ſiquidem talis materiæ cumulus, primum vel ob vapores & humores maxime ſeroſos, qui à ſubiectis partibus ſurſum feruntur, & refluunt copioſe ad caput infirmum, minuſque probe formatum. Secundo & poſtremo ob improſperam concoctionem ipſiuſmet cerebri, dum non recte ſibi amandatum nutrimentum aſſimilat, quod euenit partim ratione proprii intemperamenti, partim errore externo, ob improbitatem nimirum alimenti ab hepate, cæteriſque viſceribus male moratis, maleque conſtitutis huic principi parti ſuppeditati. Sudor copioſus ſimiliter citra dolorem, aut laborem eiuſdem capitis, dum probe etiam valet Mulier, hinc, ſeu partis imbecillitate, ſeu pororum cutis raritate, tenuiſque humoris, & ſeroſi abundantia, emanat; copioſior adhuc æſtate, ac tempore calidiori, permotioneſq; corporis: Quo ſudore ceſſante, ac rarefacto ſic capite, aëreque nocturno præſente, manifeſtior ſolita frigiditas capitis, quaſi prius tacita & tali opportunitate excitata, ſeſe oſtentat & exhibet. Somni tamen nec longi, nec profundi ſunt in hac pituitoſi humoris copia & vbertate; quoniam cerebrum continet quidem excrementum frigidum & humidum; ſed non abſorbet. Adhæc tenuis & exigua anathymiaſeos

Siniſtra eſſe frigidiora, humidiora & imbecilliora dextris.

qualitas ſomni opportunitas nimiæ caliditatis & ſiccitatis, acredinis, & mordacitatis eſt particeps, q, vitium ſeeũ ducit ipſa anathymiaſis dum ex hepate, & vena aorta, ſanguine ichoroide affluente, eleuata caput ſomno conciliando petit: Imo ab eodem, aut aſſimili fonte proficiſcũtur τὰ διανοήματα. i. *Imagines*, ac varia inter vigilandũ ſpectra, & perturbatio itẽ ſomniorũ. Poſtrema tamẽ hæc mala iampridẽ importuniora erant, quo tempore vrgebat magis hypochondriacus morbus, hodie lenitus, & mitior factus. Hic enim morb. per iuuentutẽ (vt audio) Fœminã macte exercitã habuit, nunc pro parte ſublatus, ac emollitus, huiuſq; cauſſę amiſere ferociã. Tranſeo vicino flexu ad conſimilẽ, ſi non idea, ſaltem fonte & principio, affectũ. Nam leui quoq; de cauſſa man⁹ huic mulieri ſubtremiſcũt; licet ad tempus & fugaciter. Et fit partim χειρῶν ἀκρατεία. i. *manuum impotentia*, neruorum imbecillitate; cum ſint nerui pituitoſis & craſſis ſuccis irrigati, vnde impeditur animalis facultatis irradiatio, quo minus libere permeare queat ad partes læſas; partim etiam Fœminæ pudore ſeu τῇ δυσωπίᾳ, ac ſubinde ſpirituum ſeu caloris natiui ob præcipitem & contrarium motum paſſione, diſſipationeq; cum Ipſamet ſit non modo ingenuæ mentis, & mollis oris; ſed vltro Melancholica, & affectib. morẽ gerens ac inſeruiens. Nam hoc præcipue Mulieri contingit vna cum vultu demiſſo, ſubmittens etiam verba, quotieſcunq; ſibi cum aliis nedũ maioris, ſed etiam valde minoris fortunæ pſonis loquẽdũ eſt, & ἐν τῷ λαμβάνειν. i. capiẽdo manuq; in officio pſiſtẽte, quo tempore maior facultas exoptatur; gliſcitq; vitium, ſi rebus gaudium vel timor forte fortuna immiſceatur: ſiquidem à vi affectuũ auferimur nos mortales, vt à ſubito torrente. Vnde Fœmina crebro ſtudet affectus turpitudinẽ recondere & obumbrare aliqua manuum earundem ſeu potius digitorum molli geſticulatione; ſed incaſſum; cum magis intendatur vitium, manu mota & obſeruata, quã quieta & ſpreta; ſæpeq; pigeat & pudeat puduiſſe, ac proprios metus oſtentaſſe. An id accidẽs ſit naturale vel aduentitiũ, nõ mihi ſatis conſtat, puto tamẽ à primordiis naturæ ortũ duxiſſe, increbuiſſe poſtea & magis ſe explicaſſe ætate & tẽpore vna cũ cæteris ſui generis partim narratis, partim enarrãdis morbis. Hæc enim vitia, tremor, ſtupor, ac paria etſi leuia & facilia ſint inſtar fluctuũ quorundã aquæ abeuntis, & alludentis non lędentis, vbi robuſtior materia occurrit,

currit;attamē cum aſſultant,metu exterrent,grauiorūq; prænuncia non raro eſſe conſueuerunt,& ideo in totū non ſpernenda,ſed corrigenda. In ventre imo circa vmbilicum nempe verſus ſiniſtram tamen partē à multis pariter iam ante annis geſtat tumorem quendā oblongū potius,quā rotundū,denſum,durū,renitentem;ſenſu quidē præditū,licet doloris expertē, qui characterem, & ideā veri ſcirrhi habet, ſobolesq; videtur variorum ſuccorū longo tempore cōcretorū & torpificorum: Is autē tumor factus eſt per ſe ex rheumate prædicti humoris impuri & idea varij occulte & ſenſim accumulati,non autem ex euentu,quod eſt à phlegmone perfrigerando nimiū ſtupefacta: Magnitudine eſt veluti ouum anſeris; hiſce temporib. neq; increſcit,neq; decreſcit; aliquoties tamē vmbilici regionē prætergreſſus mutaſſe locū, ac velut deſcendiſſe ipſi mulieri viſus eſt; ita vt imam vere abdominis partē,q. ἦτρον καὶ ὑπογάστριον nominatur,ſiue κοιλίη νεαρή,attigerit: Indoloroſus eſt hic tumor propter ſcirrhoſarū partium τὴν ναρκὴν καὶ ἀναισθησίαν,quā infert conſiſtens confluxus illius humoris torpifici. Non ſatis conſtat,quā nam partē inferioris ventris inſideat hæc duritas,quod tamē nō contemnendū, ſiquidē vt Galenus dicebat ſub l mine *lib.* περὶ τῶν πεπονθότων τόπων, notitia affectarum partiū,quas locos appellāt, vel maxime vtilis eſt tum ad ali[illegible], tum ad curationē ipſam, quod pro locorū differentia, curatio quoq; variari ſoleat: ſcrutemur itaq;,quæramus, vt veritas innoteſcat. Duritas enim iſthæc non μετέωρος.i.*non extima*,nō in muſculis epigaſtricis; ſed potius κρυπτὴ.i.*intrinſeca*,abſcondita quodammodo apparet: Vnde veriſimile,vel circa omentū, vel ſi in vtero in extima huius & ſuperiori parte,quā alibi domiciliū & ſedē illam hábere: Hoc enim tumore præſente & menſes per multos annos ante ſatis commode,etſi non admodū conſtituto ordine,fluxere; conceptio itē, vteri geſtatio, & partus pluries optime ceſſere: Quod minime factū eſſet,ſi tumor internā vteri partē obſediſſet. Vxori enim Gorgię in Lariſſa,hiſtoriis claræ,ob ſcirrhum intrinſecū vteri menſes ſuppreſſi ſunt per annos quatuor, & tandem partu, ac libera & liberali puerperiorum, & reliquorum vteri excrementorū expurgatione malo defuncta eſt, ac ſana euaſit. In noſtro autem caſu neque crebri partus,neq; puerperiorum, ac menſium fluores decentes,vel etiam immodici vllam opem ferunt,non imminuunt,dico,

tumorem, ventrem eleuatum minime adæquant. Non eſt tamen abs re exiſtimare, lienem ipſum, hiſce pariter temporibus, quãdoq; tumeficri, ſeu in molem, cum deſcenſu quodam, aſſurgere, atque dicto tumori epigaſtrico ſeu hypogaſtrico vetuſto necti, & hærere; tunc enim ἔπαρσις καὶ ἔντασις. i. *tumefactio & tenſio* pertingunt, etſi impari duritie, ac vario doloris ſenſu, per omne ſiniſtrum hypochondrium; ſanguis fœculentus item in hoc corpore abundat; crudi ſucci, & flatus adſunt, quæ omnia ſolent eſſe tum obſtructionum, tum incrementi & magnitudinis infirmioris ſolito lienis cæmentum & apta materies. Infirmitatem autem inſolitam, prauamque diſpoſitionem, iuxta eam partem, quæ non eſt προηγούμενον. i. *primigenia*, contraxit lien viſcus alioquin vile, rarum, ſpongioſum ac proxime ventrem ſitum; & ob id maxime fluxionibus ac morbis obnoxium, ſi non aliunde, ſaltem ex vicinia & contactu illius antiqui tumoris, merito cuius non nihil refrigeratus eſt & labefactatus. Idem tumor, propria grauitate quandoque etiam deſcendens (dum enim lien vetuſtæ congeſtionis fit κατάρροπος, omnia inde nata euadũt κατάρροπα, auctore Hippocrate *6. epid. 2.*) vt variis ſic rationibus clam partibus præcipuis, ac toti pene corporis vniuerſitati nocuus eſt, ſic palam τῇ εὐκινησίᾳ. i. *mobilitati* eiuſdem corporis mole, pondere, ac renixu moleſtum ſe præbet. Mulier enim alioquin γαστρώδης καὶ μεγαλοκοίλη. i. *ventreprominulo & vẽtricoſa*, ita vt fœtum ſemper gerere videatur (vnde etiam πνευματώδης. i. *ſpirituoſa ſeu anhela* apparet) flectit ob id corpus antrorſum, & ſiniſtrorſum; tum & incommodat idem tumor ingreſſui, ac magis aſcenſui, & deſcenſui. Menſes, de quibus tetigi & nunc vberius dicam, iampridem in ipſa ſcilicet iuuenta, atque robuſta maturitate, quantitate ſatis copioſi nunc modici obſeruantur: Et quemadmodum ſubſtantia & colore, præter id, impuri ſunt, ita quoque ordine & periodo inconſtantes ſe præbent; modoque poſtponunt, & crebrius; modo anticipant, ac varie, quod tamen ſæpe contingit citra vllum corporis manifeſtum laborem, de quo ſit Mulieri, eo momento, querela. Sanguis, qui expurgatur, variæ eſt palam ideæ; à principio quidem purgationis, dumq; primum in conſpectu ingreditur, congruus tum colore, tum ſubſtantia ſatis eſt, mox veluti cruor pauentium ſuffuſcus & liuens, craſſus & fœculentus redditur, ad extremum ichoroſus, decolor, aquoſus

ac lo-

ac loturæ carnis inſtar euadit, taliſve manet bidui vel tridui ſpatio; imo tranſacta etiam menſtruali purgatione nonnumquam loca illa ὑγρὰ ſunt, madent, ac ſegnis quidam fluor albus ad multos dies perſiſtit, trahitque, metu & incommodo, Mulierem, cui, vti vniuerſo ſexui, exoſum conſimile vitium. Sed hæc leuia; nec difficilia cognitu: ſiquidem, vt Galenus dicebat *5. Aphor. 36.* quemadmodum menſtrua tarda & morantia euadunt propter humoris craſſi & ad fluendum inepti copiam; ac viceuerſa conſuetum ſtatumque terminum anteuertunt nonnumquam contrarii, humidioris ſcilicet ac tenuioris permixtione; ſic decolora eadem fiunt horum omnium promiſcua præſentia: id eſt, confluxu humoris crudi & pituitoſi non ſolum, ſed etiam melancholici & bilioſi. Cæterum grauior profecto error, quod eadem menſtrua ex inopinato, ac citra vllam cauſſam manifeſtam, quæ αἰσθήσει καὶ γνώμῃ. i. *ſenſu & mente* innoteſcere poſſit, per duos vel tres menſes temere ac fortuito nonnumquam intercipiuntur, nulla interim corporis & valetudinis perturbatione inde nata, ita vt tunc ſpes initæ & inchoatæ grauiditatis ſit; menſe mox ſequente tertio vel quarto (non enim ſemper idem ſeruant tempus nec in his erroribus meta eſt vel certus ordo) eadem iam ante occultata menſtrua, geſtatione vteri irrita & falſo credita, de improuiſo ſimiliter, nihil, inquam, tale cogitante vel ſuſpectante nobili fœmina, erumpunt impetu ὀργασμῷ, ac veluti ira adeo copioſa & violenta (quaſi ipſam tædeat tantæ recluſionis) vt ὑπερκαθάρσει, id eſt, *ſuperpurgatione* mulierem opportunis minime, eo momento, remediis cedētia ducāt πρὸς ἄσην περὶ τὴν καρδίαν, λειποψυχίας, ἱδρώσεις, ψύξεις, καὶ ἀδυναμίαν, ἢ ἔκλυσιν. i. *ad anxietates circa cor, animi deliquia, ſudatiunculas, refrigerationes ingentes, at veluti marmoreas, veramq́; impotentiam, ac omnium pene facultatum exſolutionem*; amiſſo, deprauatoque ſæpe pulſu; (etiam nunc videre videor, quæ adſiſtens miratus & miſeratus vidi) Facies terrifica & cadaueroſa quoque euaſit; Fœmina etiam lingua iam impos, ac mentis vix compos; ac parum defuit, quin animam, quam vix retinuit, ediderit, deſerta cæteris Medicis, ambiguum illi, ac prope vltimum diſcrimen inſtare putantibus. Hæc autem poſteriora ſymptomata facta ſunt non modo virium διαλύσει. i. *conſternatione*, deiectu, ſpirituum vel ob hæmorrhagiam diſſipatione, egeſtu; atqui etiam propter grumi ſanguinis

intra ventrem ſeu vterum cohibitionem, retentionem: Sanguis enim mox ac in ventrem incidit: hoc eſt, extra venas & arterias effunditur, deſtitutus fotu, auxilio, ac vi conſeruatrice venarum concreſcit in grumos, & corrumpitur. Planum eſt illud Hipp. *Si quando in ventre ſanguis contra naturam effunditur; ipſum corrumpi eſt neceſſe.* Atq; eius corruptio multo maiorem, quam vllius alterius ſucci, infert noxam cordi, vitæq; principio. Quod admirabatur Galenus *6. de loc. aff. cap. 4.* tanquam malum aliquid ſuper exceſſum primarum qualitatum, & communem humorum putredinem affirmans. Et re-uera ita eſt; θρομβώδης enim ſanguis inſtar aſpidis venenum quoddã inſpirat ſopiente (vt ſic dicam) & fallente aura ſeu qualitate: Vnde egregie poſitum & illud ab Hipp. *Eſt vero, ſanguinem multum grumoſum fundere, lethale.* Valida eſt pernities à ſanguine grumoſo acute & occulte, vt dixi, lædens: Acute; ſanguinis ipſius effuſione: Occulte; qualitate ſane eximia, quam in grumoſo ſanguine adnotes præter ſortem aliarum qualitatum nudarum, & apertarum. Hanc, præcipue dum inimica, ſolet Hipp. nuncupare alias κακουργίαν. i. *maleficientiam*, alias αἰτίαν ἄδηλον. i. *cauſſam occultam.* Galenus variis & ipſe nominibus eam appellauit; ſiquidem modo κακοήθην σῆψιν, id eſt, *malignam putredinem vel corruptionem* dixit; modo ἰωδία καὶ κακοήθεα δύναμιν, id eſt, *deleteriam, venenatam & malignam qualitatem*; modo tandem δύναμιν βλάβαν καθ' ὅλην οὐσίαν. i. *proprietatem noxam ſecundum totam ſubſtantiam* arbitratus ille ſcilicet nocentiſſimam qualitatem, vim, potentiam non alio efficaciori modo potuiſſe deſignari, quam hoc, quod ſcilicet ſubſtantiæ noſtræ, vitæ, inquã, fulcro & principio ſit inimica iuxta totum ſuum eſſe. Corruptio autem iſta (vt ratio dictat) qua in humores, in ſanguinẽ, dico, hæc venenata & pernicioſa qualitas omni ferocitate prædita, & quantum ab initio ſæpe blanda tantum in exitu acerba & petulans inuehitur, non eſt temperamenti ſola mutatio, vt ex Galeno innui, nõ eſt putredo, ſed eſt totius naturæ, inſitæq; ſubſtãtiæ deſtructio, alienæq; ac nobis inimicæ ſecretior quædam procreatio, qua id, quod per priorem naturam nobis erat benignũ & familiare, inimicam tunc & pernitioſam naturam adipiſcitur: Cum enim vnius corruptio, vt ex philoſophia habem9, ſit alterius generatio, quid mirum, ſi corrupta familiari natura, inimica inuehatur, ſi deſtructa benigna, venenata generetur. Quid autem

autem peculiare ſit hoſtilis hæc facultas,ſeu vis,quæ in alto ſecreta, in humorumve qualitatibus crebro ſe oſtentat,&aſſerit effectu,explicari haud poteſt;quoniam etſi ad operationes ſenſibus pateat,lucem habeat, ac quodã principio phyſico etiam intelligatur; attamẽ quo ad naturam & ſubſtantiam,vt indicaui,cæca eſt,&in naturæ vi ac maieſtate abdita; inſenſibilis,dico, & abſcõdita patet. Sed de his ſatis,ne quæ acceſſoria ſunt, præcipuis anteferantur, & copioſiora ſint. Vlteriora itaque petamus.Hoc & ſuppreſſionis immerito mẽſtruorũ & profluuij miſerabile infortuniũ cum cæteris ſui cõſectarijs,& ſuccedaneis partim memoratis,partim memorandis ſymptomatibus contigit tũ alias (ante annos paulo minus octo, atq; bis intra ſpatiũ ſemeſtris) tum recens,menſe præteritoMaij,me pręſente, atque adeo curationi inſiſtente. Quam autem cauſſam affectionis ſeu fluoris huiuſce formidoloſi , qui ad extremas Fati lineas Dominam ſæpius admouit, fuiſſe ſuſpicor, ſupereſt dicam. Cum enim vel errore facultatum naturalium retentricis & expultricis ; vel ob venarum in vterum menſtruam purgationem deferentium conniuentiam, contractionemque oſculorum ; vel ob earum obſtructionem ; ſeu ob prauam aliquam ſanguinis qualitatem, craſſitiem, frigiditatem ; vel ſimile ob vitium copia illa ſanguinis, quæ per menſes exactos, de more, expurgari debuerat, ad ea loca, quæ ſunt receptaculum & ductus muliebrium, ſeſe iniuſte collegiſſet, facultate tandem ſtimulata & excitata tum multitudine inundationem quamdam grauem veluti faciente, tum qualitate cunctatione illa deteriori etiam facta, cœpit eadem ipſa facultas, ad ἔφοδον. i.*inſultum* ſic bina moleſtia ſolicitata, excernere primum ſanguinẽ tenuiorem, magis bilioſum, paulo autem poſt non potens iam ſe continere reiecit omnia adfatim; ita vt vel ipſe ſanguis colore integer,& ſimilis ſanguini victimæ, per diem noctemq;, vix interciſa hæmorrhagiæ continuatione, effunderetur, peneq; exhaurirentur venæ totius, niſi remedia præſto fuiſſent ; ſic enim euenire ſolet, cum euacuationes incipiunt à forti naturæ irritatione, cui morem gerunt meatus & humor. Remedia medica vel chirurgica,quæ per tot,tantaq; pericula in vſum venere, varia & diuerſa fuerunt;&longum ſit ac infructuoſum hîc eadem recenſere,& eo magis,q; potiora, atq; fluxum ipſum cruentum priuatim ſpectantia exſtant penes

Hippocratem variis in locis; ſed præcipue *6. Epid. par. 7. t. 3.* (præter illud memorabile, quod habetur *5. Aph. 50.*) Inter reliqua (vt id obiter atque extra proprium curationis aut medicamentorum locum animaduertam; & vt ſi forte fortuna rurſus incidat malum, Medicus, qui aderit, prænoſcens aliquid, non poſſit omnino ignorare) ad ſiſtendum ſanguinem duo viſa ſunt, tum hoc tempore, tum alias, Ægrę pene diuerſa expertę plurimum contuliſſe. Vnum ſponte accedens: Alterum conſilio; imo Ægræ ipſius ſuaſione, etſi ſpe ancipiti, adhibitum. Primum fuit λειποψυχία. i. *animi deliquium*, lenis diſſolutio inſequens per ſe, nedum ad nimiam ſanguinis effuſionem; atqui etiam ad ἀγωνίαν. i. *timorem* præ effuſione conceptum, qui facilis & promptus huic fœminæ propria natura infracti animi, deſpondenti ſalutis ſpem, conſternationique pronæ: Nam hi affectus aſſidui comites ſunt Melancholiæ. Secundum, cui præfidit Mulier, remedium, & quod anchoram ſuæ ſpei dicit, exſtitit μοτώματος ξυστροφή. i. *linamenti contorſio*, linamenti, inquam, aſperſi inſuper puluere ſtercoris aſinini ex pręcepto Scribonii Largi. Hoc enim medicamētū etſi in conſimili ſanguinis effuſione haud ſatis tutum videatur, quod huius vſu & adminiſtratione ſanguis è venis effuſus ſiſtatur intra capacitatem vteri, & grumeſcendi (peſtifera labes!) opportunitas ipſi detur; nec admodum vtile, quia linamenti contorſio, ſeu peſſarium pertingere minime queat ad loca, vbi ſunt ora hyſtericarum venarum adaperta, quæ tangi, claudi, & adſtringi expoſtulant; nihilominus dempta prius & effuſa ſanguinis copia, inque cura veluti coacta non damnoſum aut inutile cenſetur, vel obſeruatur deſcendere aut deſcendiſſe ad hoc ipſum medicamentum. Ratio autem tum vſus, tum læti euentus eſt, quod ad ſanguinis grumeſcentiam, congelationem, ad illam, dico, ex peſſario ſuccorum intra vterum cohibitionem clauduntur vna, & obſtruuntur conſecutione quadam & ſecundario oſcula venarum ſanguinem deferentium ad ipſum vterum; hinc lenta effugia eidemmet ſanguini præbentur. Adhæc dici vltro etiam poſſet, vaporem ſtercoris aſinini penetrare vſque ad fundum vteri; venas adapertas attingere, atque ſic immediato contactu premere cruorem & opus ſuum moliri. Vti quoque notum naturæ peritis, ſupprimi omnem ſanguinis fluxum animi deliquio, tum & veternis ſubanxiis, quod exanima-

nimatione ſcilicet,& delatione in ſomnum colligatur adfatim reliquum ſanguinis verſus cor, atque ob id reuellatur introrſum à parte,ex qua fluit. Quinimo in tantum efficax huius præſidii vis atque ratio habita,vt non deſint,qui per artem & ſtudium, pathemate quodam vehementi accerſito, qualis eſt dolor,& timor,quærant euocare, & concire animi deliquium ſponte non accedens & exoptatum,tanquam vnicum vrgentis mali ſuffugium. Patiente enim ſic corde,& angente homine,ſanguis confertim,vt dicebamus, ad interiora ſe recipit,ex quo ægri pallidi fiunt,& refrigerantur: Vnde ſumma cum ratione cruor vniuerſus hoc pacto & pathematis ratione ad alias partes conuerſus, vt robur ſiſtit,ita quoque non amplius locum affectum & apertum petere valet: Atque ita (ô pulchram rem!) mortis imago vel rudimentum ſæpe mortis eiuſdem fuga eſt & propulſatio,quod fit naturæ; imo Dei prouidentia, miſcente malis remedia,aut vtraque ſimul nectente; vt trahatur vita, & prouiuat homo. Cauendum tamen, ne proferatur vel excreſcat nimis diſſolutio animique deliquium; neu iungatur conuulſioni; quia ſic eſſet malum, vt animaduertit Hippocrat. *5. Aph. 56.* Quæ à me dicta eſſe puta, non tam,vt remedia inſperſa, & intellecta recenſeam (nam hæc proprium locum exoptant)quam vt morbi progreſſum,curſum,& exitum commodius ſic attingerem & memorarem. Quamquam pares exitus à paribus cauſſis coniungere, & excurſibus quandoque ſic vti,non alienum à munere Hiſtorico; imo illis pene diuinus putatus eſt Thucydides. Sanguinis fluore (vt inſtitutum perficiam) huic ipſi ægræ partim ſic naturæ, partim remediorum ope tandem cohibito, recollectiſque parumper viribus, quarum redintegratio cita,dum amiſſio effectus eſt fugacium cauſſarum; cœpit Mulier, & mente redeunte, & ſpe inſuper Ipſamet alleuata tum ſolatia admittere, tum oblata in cibum & potum libare; opportuna auxilia in arctis tunc viribus: Haud pridem tamen (quod tranſitu quodam in aliorum mentione pariter notandum) ſumpſerat,conſilio noſtro,ſcrupulos duos Mithridaticæ confectionis,quæ non modo recreare,attollereque effœtas, & iacentes vires ſolet; ſed auram omnem venenoſam cor petentem & infeſtantem ſua vi arcana obtundere & infringere identidem conſueuit. Paulo autem poſt, ſomno etiam iuſte inito, aut ſaltem non tam, vt prius

anxio, ſicut maius robur adepta eſt, & in ſpem firmior facta, ita quoque & ob labores ante proxime præteritos, & ob vigilias, & quia eſſet cacochyma incaluit (citra rigorem tamen; nam hoſtilis fuiſſet rigor in tali, ac tanta virium imbecillitate, caloriſque natiui ruina & clade velut Cannenſi) incaluit, inquam, vt febrire palam agnoſceretur, tritæophyæque febris, ſeu duarum tertianarum notharum (Romæ incolis frequentium) ſpeciem & ideam porro febris, haud leuis calore & paribus tum malignitatis ſuccorum, tum febrilis caloris conſectariis ſymptomatibus, progreſſu retulit; licet inter initia, de more, ambigua πλανώδης ἢ ἀκατάστατης, inexplicatáve obſeruaretur. Eratque continua, & intermiſſionis vere expers per ſubingreſſum, vt loquuntur, paroxyſmorum: nihilominus vti quotidie, tranſacto, quod erat profluuij, & impotentiæ, periculo, ingruebat frigore potius ſeu horrore, quam rigore, & mox ſenſim accendebatur & in calore ſuccreſcebat, ſic manifeſte tandem remittebatur, & langueſcebat ſupina. Doloris capitis tamē cruciatus perpetes, & adſidui increſcentes inſuper ad finem ſtatus cuiuſq; paroxyſmi, ac mitteſcente febris acceſſione, quo tempore vapores & humores ſolent maxime caput petere, aderant, qui cruciatus mox ſubſiſtebant, ac palam remittebantur & ipſi, faciei, ceruicis, ſed præcipue eiuſdemmet capitis ſudatiuncula quadam calida & vaporoſa erumpente, quæ adeo ſæpe extendebatur, vt futurum ſubſequentemque paroxyſmum veluti attingeret. Dolore vrgente illacrymabat Mulier tacita & mœſta, triſte & ſiniſtre interpretando: Et mirum apud Ipſam de dolore ſilentium; imo interrogata illum occultabat diſſimulatione, rem paulo poſt & cogitationes ſuas aperiens; Quod melancholicum fuiſſe, plane colligere licet ex Galeno *3. Epid. par. 3. ægroto 15.* quo loco. Τὸ δὲ, σιγῶσα, μελαγχολικὸν ipſemet Galenus agnouit in illa muliere. Nam ideo ſunt taciturni huiuſmodi homines, quia animo multum abiecti, quia morem gerunt animo pertinaci; & ſponte ſua fandi ſunt negligentes, non impotentes. Eodem tempore pariter ad menſem (manente febre) per vterum (quod prætereundum minime eſt tanquam quid nos inſtruens) tolerantia & commodo Ægrotantis expurgabantur varij ichores, omnis generis & promiſcue, mucores, atque etiam pus fœdi odoris, quod ſine dubio erat portio tum ſanguinis extra venas effuſi, intus cohibiti, atque cunctati &

tunc

tunc pepaſmo in pus conuerſi, ob eamque cauſſam meabilis, tum excrementorum vteri propriorum, atque communium merito vel immerito eo tanquam ad corporis quandam lacunam vel cloacam confluentium, quorum in his caſibus puriformis & alba ſolet eſſe idea. Nullus tamen dolor circa epigaſtrium vel hypogaſtrium, ſeu lumbos per id tempus ſeu ante, ſeu poſt fluxum, ſeu in ipſo fluxu animaduerſus, vti contingere ſolet in ipſo abortu, inque inflammatione omni ſyſtrophica ipſius vteri. Vrinæ ſtatim à fluxu, ac per initia febris fuerunt valde craſſæ, turbidæ; albæ potius, quam coloratæ, deponentes tamen multumque mucoris & pituitæ ſecum deferentes. Aluus immediate poſt ſanguinis fluxum vel ob ἔκλυσιν, ſeu alia ratione humidior viſa, pauloposſt pigra adſtrictaque euaſit. Reliqua porro febris conſectaria accidentia nihil noui, admirabilis, vel commemoratione digni in ſeſe habuere, cum modum retinuerint; & ideo omittenda. Tranſacto menſe, circa vigeſimam quartã nimirum, ceſſarunt primum febres, tandem etiam expurgationes illæ copioſę vterinæ: Et quoniam, miteſcente præcipitiq; iam febrili morbo, humores reſidui viſcerum & venarum a natura egreſſi & inutiles, nondum alias pharmaco educti, coctionem ἀπεπασμῶν variis indiciis præ ſe ferebant, ideo Mulier præſumptis prius, ex more, variis alterantibus, & præparantibus, blande purgata eſt, die etiam quietiori & tutiori electa, quod vim rei & vſui addere ſolet. Idque factum ſy. de Polypodio Sibi familiari & proficuo: promiſcuam quippe humorũ cacochymiam reſpiciente. Et probe ceſſit, ſecundante humore, & facile ferente Ægra. Interim eodem purgationis die, & ſequenti, pręcipue confeſtim ab aſſumpto pharmaco, nondũ aluo fluente, Fæmina (quod ante minime Ipſi per hunc morbum contigit) acriter vexata eſt à deſtillatione, quæ à capite iã ante repleto, & cruciatibus doloris ſolitis, licet tunc, inclinante morbo, mitioribus obſeſſo ad pectus licenter delabens, pulmonéſve opplens, irritans, & grauans inducebat id, quod memorat Hipp. *lib. 2. περὶ νούσων*, & familiare eſt Fœminæ; tuſſim nimirum, orthopnœam, & aſthma, quæ metũ etſi fugacẽ, eo momento, ſuffocationis attulẽrunt, ſpiratione erecta atq; ſtertôre prementib. Vnde toto hoc bidui tempore, præſertim mox ab hauſtu medicamẽti purgãtis ingẽs pituitæ copia variæ ideæ, partim viſcida & tenax, partim etiam tenuis & aquoſa

primum confertim, demum lente, extuſſiendo, excreando, & ſputando, è cerebro quidem deriuata, atqui immediate ex ore, faucibus, palato, gutture, pulmonibus maxime atque thorace emanans, varia vi & conatu, educta eſt. Quamquã minime dubitandum, quin portio illius excreti, *τοῦ πτυέλου ſputi* fuerit humor, quo natat ſæpe aluus, prorepitque in aſſumptione, & nauſea illa pharmaci ad os per continuitatem interioris tunicæ, quæ aluo, palato, ac toti ori communis eſt. Simile quid huic matronę contingere pariter aſſòlet protinus ab aſſumptione oxymelitis, vel paris rei, quæ adfatim hauriatur; vel lambatur, ſeu ſenſim deglutiatur, abominatione quadam, nauſea, & proritatione ventriculi; os enim copioſe ſimili occaſione Ei diffluit ſaliua, citra vllam etiam tunc partium ſpirabilium, ad thoracemque ſpectantium offenſam vel *ἔφοδον. i. inſultum.* His peractis (vt ad alia eamus) totque recrementis exonerata natura, Mulier melius habuit, in gradumque repoſita, etſi nondum illum priſcum; atque in conſimili probo ſtatu erecta & alleuata permanſit ad hoc tempus autumnale; æſtatiſque calores tranſegit citra acceſſum vel aſſultum alterius diſcriminis ſeu morbi ſenſibus patentis. Apparet tamen *ἀχρούστερα minus colorata,* in pallorem ſcilicet albidior etiam ſolito exiſtit, tum penuria & paupertate (vt opinor) ſpirituum, viuifici nectaris, quod à corde tanquam vberrimo fonte procedit, vnde partes omnes colorem genuinum, atque decorem tuentur, vel amiſſum recipiunt, tum & defectu *τῆς εὐχυμίας. i. bonitatis ſucci.* Eſt enim conſentaneum, vt qualis humor, non refluus, in parte vel partibus ſtabulatur, talis & color eluceat. Venter *ἐπιγάστριον, abdomen* ſcilicet (quo continentur, ſeu potius circumſcribuntur ilia, vmbilicus, hypochondria, & hypogaſtrium) alioquin natura, vel ſaltem multos ante annos iam prominens & magnum præteritis diebus tumidius etiam ſolito videbatur, plus renitens, & in parte dolore affectum: Dolor tamen erat leuis & altrinſecus, quippe qui manuum attrectatione, & contrectatione circa lienem excitabatur. Nunc vero, ſeu quia intumeſcentia eſſet vterina (quemadmodum crebro ſolent eſſe in hoc ſexu repentinæ ventris intumeſcentiæ) ſeu magis quod à leui, & flatulenta cauſſa aliorum viſcerum, & à cruditatibus congeſtis malum proficiſceretur; quod denotabat tunc creber *βορβορυγμὸς. i. murmur fremens,* tum & recens mali, & aucti meteoriſmi ori-

ſmi origo;ad priſtinum ſtatum (vt fert Ægra,& vt cæteris etiam adſpicientibus & (vt ſic dicam) inſpicientibus videtur) idem abdomẽ redactum apparet: Idque factum beneficio & ope profuſioris alui, necnon diſſipatione atque excretione vltro flatuum etiam per vrinam. Vnde hypochondria ab oppreſſione illa inſolita plene ſoluta & leuata ſunt; ac rurſus quædam relaxatio totius abdominis cõſpicitur; adeo vt iamnunc ſolus ille tumor ſcirrhoſus, & abdominis σύντροφος. i. *coæua*, ſeu συναξής, *hoc eſt cum ætate diætæ vitio comparata* magnitudo & indecora vaſtitas vna ſuperſint. Quin & eodem tempore, primiſque conualeſcentiæ & alleuationis diebus œdematoſi nõ nihil pariter fiebant pedes licet interdiu ſolum, ſtanteq; recte Matrona: Cuius vitii duplex, meo iudicio, erat cauſſa. Altera, quod pituitoſum ſanguinem in illo caloris natiui languore, & recenti ac imbecilli conualeſcentiæ ſtatu primi ipſimet pedes excipiebant, impotentes vltro & inualidi ad eundem crudum melius mitificandum. Altera, quod laborent ijdemmet omni tempore ex paupertate ſpiritus & caloris viuifici in languida viuacitate propter longinquitatem partium calidarum, ſanguineque abundantium, & propinquitatem ipſius cruditatis, quæ eſt vna matrix τῶν ἐμφυσημάτων. i. *inflationum*. Huiuſmodi tamen accidens ad extremum ceſſauit & ipſum, amiſſo ſuo fotu, euaneſcenteque abdominis enarrato recenti, & inſolito tumore; necnon erecto ac refocillato, pro parte, totius corporis natiuo calore, qui in dies eualet; ſiquidem ab illa ſcaturigine, ab egeſtu nimirum caloris, & à ventris tumore inflatio pedum diffuſa plane erat.

Quandoq; etiam (vt cuncta narrentur & explicentur) conqueritur Ægra de leui quodam ventriculi dolore, maxime mane, dum è lecto deſcendit, & antequam corpus liquido moueatur, ventremque exoneret; qui tamen dolor ſtatim euaneſcit, vel mitigatur flatuum excurſu, murmure, emiſſione; eructatione edita. Verum etſi ex tot, tantiſq; morbis, ac morborum difficultatibus Mulier iam nunc emerſa ſit, naturaque ipſa in parte quin etiam alleuata & erecta videatur; nihilominus habitus totius, compago vniuerſa partium ſingularum extimarum primitus ſub aſpectum cadens, & tractabilis, necnon principia, ſeu viſcera, maxime iecur & propter æta-

tem progreſſam & inclinantem, ſeu ſubſiſtentem potius, quam cōſiſtentem; & propter vteri crebram geſtationem; frequentes partus; & tandem propter immoderatos illos ſanguinis fluores non nihil refrigerata ſunt; calorq; natiuus ruinam quandam, euerſionem, detrimentū paſſus eſt. Calor tamen, qui in viſceribus vaſis, & ſanguine hodie in hac penuria, vel languore ſupereſt, acrior quodammodo videtur, à veraque temperie ad igneam naturam deſciuit, ac πολέμιος. i. *hoſtilis* factus, vnde impar gignēdo ſpiritui, & optimo ſanguini, cuius loco abundant ichores parum animati ἀπνεύματι, licenterq; vagi, qui ideo præbent ideam ſanguinis à pituita & vtraq; bile corrupti. Et hæc pariter eſt ratio, ob quam menſes impuri, atq; vitiati ſubſtantia & colore in dies magis apparent; ſanguificatio enim haud recte votis naturæ reſpondet; ſed ſereſcit ipſe ſanguis, quod eſt Ariſtoteli ὀρρῶσθαι, vbi agit de ſudore cruento *3. de Hiſtor. an.* Non eſt tamen dubitandum, quin fœdentur & corrumpantur inſuper ijdem menſes affluxu & permixtione aquoſi & mucoſi phlegmatis, excrementorum, inquam, tum ventriculi, tum capitis eo cōfluentium cum ſanguine. Quinimo illa diuturnior & primo aſpectu ſpernenda ingrata & timenda alborum & pituitoſorum vterina expurgatio, cum facilem aut placidum exitum habeat, cumperagatur τῇ εὐφορίᾳ, ſalutaris plane eſt, corpuſq; Mulieris ſeruat quodammodo integrum, ac vindicat ab excrementis, quę ſi retinerentur, eſſent ægrotandi cauſſa. Id tetigit Hipp. *ſub initio 6. Epid.* quo loco verba faciens de menſtruis aquoſarum mulierum, probe dixit ὅταν δὲ μὴ ταχὺ ἴῃ ἐπονδέει. i. *cum autem non celeriter* (& abundanter adde tu) *exeunt, intumeſcunt*. Par vetus illud verbum. *Muliebria pallidis mulieribus, diuturna.* Dicti caloris ſubſtantia pauci, & qualitate acrioris ſplendor & lumen, tum & ichorum acrium & bilioſorum, & ſubinde diſiectorum & inquietorum copia & vbertas elucent vna quoque & ſe oſtentant in eruptione & prouentu quarumdam macularum feruidarum tam latarum, quam tuberoſarum & prurientium, quæ crebro cutim corporis, etiam per hæc tempora, fœdant, & velut bullatam faciunt. Huiuſmodi maculæ à Græcis conſueuere latiori vocabulo dici ἱδρῶα, à noſtris ſudamina: Plinius appellauit papulas ſudorum: Longe diſſident tamen noſtræ maculæ ab illis hidrois, quæ commemorantur ab Hipp. 3. *Aph. 21.* quandoquidem Hippocratis hidroa,

hidroa,teſte Galeno *eo loci*,fiunt à ſudore bilioſo acri & mordaci, & propterea vlceroſa ſunt; noſtræ vero maculæ ortum ducunt ex collectione quidem conſimilis generis ichorum; at mitium,& tenuiorum, quotieſcunque ſcilicet natura conatur per cutim depellere ſudores,& dictos efferueſcentes ichores; ſed à cutis denſitate ita impeditur,vt materia inibi coercita,&detenta vel ſolam colorationem circumſcriptam edat, vel ſi craſſior, circumtenſionem etiam & bullas. Noſtræ maculæ proximæ ſunt illis,quas Arabes *eſſere,ſere*, vel *ſeire* nuncupant. Quæ omnes maculæ,in ægra noſtra,vt repente apparent,ſic ſtatim etiam euaneſcunt,diſparent, ac ἐφήμεροι. i. *diariæ* tantum ſunt; ſiquidem ichorum ſubtilis materia, peneq; vaporoſa illico reſoluitur & diſſipatur. Non ita euenit circa labra & regionē cauterii,qua ichores eluctantur; etenim pars illa continenter fere pruriginoſa exiſtit & puſtulis paruis,vel vlcuſculis turpiter obſita,è quibus liquor & ſanies quædam crebro, & minutim ſtillat. Sitis huic ægræ, diebus elapſis poſt fluxum & febrem, erat merito ingens,vt vicerit & ſupergreſſa ſit temperantiam Mulieris, quæ coacta, extra tempus & citra modum,quandoque potum auebat,& ſumebat; hodie tamen moderata exiſtit, vt ſolum inter edendum bibat, potumque concupiſcat. Ciborum appetitus non indecens; concoctio tamen ventriculi tarda, nec ſatis (vt ſuperius animaduerſum) proſpera; labefactata enim caloris natiui ſymmetria, immediate facultates naturales maxime coctrices χύλωσις καὶ αἱμάτωσις iacent afflictæ;hinc flatuum etiam infeſta generatio ſoboles cruditatis tum ventriculi, tum inteſtinorum, quam cruditatem quin foueat & adaugeat pariter catarrhi in aluum prolapſus, accidens Romæ incolis familiare,minime dubitandum.Et id eſt,quod dicebat *alicubi* Hippocrates:nimirum ventriculum mari adſimilem eſſe, quaſi & ipſe toti corpori mala communicet, ab eodemq; recipiat: vt propterea mirum nō ſit, ſi in huiuſmodi affectuum corporis veluti diluuio ille quoq; male habeat, ac vexetur. Solet tandem nob. Mulier per vices & interualla,abque ordine & periodo, noctu potiſſimum,dum vigiliæ infeſtant, & ſpectra illa triſtia, Melancholiæ agnata & aſſita,occurrunt,ſupercapi de improuiſo, motu quodam inſolito cordis,affine palpitationi vel affectui illi à Galeno *4. Aph. 65.* καρδιωγμῷ nuncupato, quem motum, in hoc & paribus caſibus,

Ventriculus mari aſſimilis.

Palpitatio cordis vnde.

effici pro comperto habeo, tum ob corporis moti contractam iam pridem imbecillitatem, tum maxime ob aliquam motricem cauſſam, quæ nulla alia eſſe poteſt, quam ſpiritus & flatus; hos namque ſolos inteſtino quodam motu cieri, ipſa experientia docet. Et ſicuti ratum perſpectumq;, cordis imbecillitatem eſſe ſobolem frigidæ eiuſdem viſceris intemperiei innatæ & vltro diætæ vitio productæ; ſic facile conſtare poteſt, flatus huiuſmodi vario viſcerum naturalium vitio quotidie intra ventriculum, inteſtina, & paria loca abundanter gigni, qui flatus ſeu vapores liberi & ſoluti dum vna cum ſanguine per venas copia&impetu in cor feruntur, moleſtiam præbentes, ac veluti mordicantes atque exitum intercluſi nimis licenter & diſiecti quæritantes, tantiſper illud ipſum vel concutiunt, vel abſque ordine & modo moueri cogunt, donec vel inde vapores ijdemmet pellantur, vel eo motu & viſceris feruore abſumantur, & diſſipentur, quod cum fiat cito & ob pugnæ magnitudinem, & ob paratam flatuum interitui, ac diſſipationi naturã, mirum haud eſt, ſi malum temporarium & fugax, obſeruetur; deſinat, inquam, illico vel occultetur. Quo tempore anxia Mulier mœret & plorat vna, nõ tam formidine repentis affectionis deterrita, quam mala vaporis illius tetri cor occupantis & obſidentis qualitate; ſiquidem vaporis illius appulſu & commercio, cum temperamentum cordis immutetur, deprauetur, à ſtatu abducatur; cum ſpiritus vitalis & animalis vna craſſeſiat & obſcuretur, neceſſe eſt, vt angatur Fœmina & vileſcat, terriculamenta & vitæ diſcrimen, aliaq; id genus ſibi imaginatione proponens; eoque validius, ſi noctu inter ſomnum, vigiliarum confuſionem, tenebras & trepidationem malum aſſultet; vel alia ratione valetudo afflicta ſit & nutet; ægraque ipſa ſaluti, ac propriis viribus diffidat. Sed de Morbis ſatis: Nunc ad Remediorum Enarrationem & Examen, interciſa tamen continuatione, tranſeundum.

* * *

PARS

PARS TERTIA
THERAPEVTICA.

Remediorum Recenſionem, Vſum, & Examen ſpectans. Nonnulla quoque de Præſagio obiter ſubiunguntur. Cautiones quædam curatoriæ coniectæ ad Conſultorem cenſendæ & æſtimandæ.

CVM enarratio hæc noſtra in eum præcipue ſcopum perſcribatur, vt præluceat Medicis abſentibus *κατασκευῆς ſtatus* corporis valetudinisque ignaris, & actorum vel medicationis inſtitutæ pariter inſciis, & Ægræ tamen conſulturis; operæpretium eſt quoque, vt remedia hucuſque vſurpata plene & ex ordine recenſeantur; quippe quæ remediorum recenſio ducat lectorem ad cognitionẽ morbi, tum & naturæ priuatæ Ægrotantis. Nam à iuuantibus & lædentibus inſtructi Medici, alieniſque experimentis eruditi formant ſe, & commode ſuos ſcopos ſtatuunt, ac curatorias indicationes hauriunt; propter quod iure exſtat illud Hippocraticum axioma. *Curatio aſſerit, & oſtendit morbum*, dirigitq; conſultorem: Enimuero non minus cæteris prænarratis ipſa Curationis inſtitutæ & tentatæ notitia inſtruet Lectorem & Conſultorem: Quis carpet? ego fulcrum hoc aut fulmentum Inſtructionis & Informationis ſcio; quod recenſio talis cuncta illuſtret, ſignet, & exprimat, Conſultoremque ipſum notitia impleat. Sic olim Antonius Muſa Medicus ex relatu & cognitione inſtitutæ curationis ſibi parauit viam & aditum ad morbi Cæſaris Auguſti cum intelligentiam, tum curationem iuſte ineundam. Nam cum intellexiſſet, calida remedia ab aliis Medicis vſurpata nihil contuliſſe, ipſe ad contraria, ratione non ancipiti (vt

perperam ait Suetonius) ſed cauta & firma, quam prudentiam dixit Plinius, conuerſus feliciſſime Cæſarem graui periculo exemit, & liberauit. Non ſic tamen agendum, modo illud ſtet, quod ab initio viſum fuerat, ait *alio loco* Hipp. ſed rectæ priori rationi inſiſtendum. Rem igitur pollicitam & vtilem (quod nunc ordo iubet) aggrediamur, eundem, quem in deſcribendis & narrandis ſymptomatibus ſecuti ſumus, inſtitutum ſeruantes: Non enim hoc pariter loco omnia, quæque ad morbos fortuitos & fugaces validos & inualidos vſurpata ſunt multos ante annos medica ſeu chirurgica remedia abſque delectu commemoranda veniunt; ſed ſerie omiſſa, ea carptim, & breuiter, ex vtraque claſſe, perſcribenda, quæ recens adhibita, vel ſaltem ad manentes & diuturnos morbos directa putantur. Hæc enim præcipue ſalutaria vel iuuantia liquido obſeruata Conſultores vere inſtruere & dirigere valent, lumen inferunt, dico, vt cognoſcant, præuideant, decernantque. Nullum tamen generoſum, atq; ex iis, quæ non tam ad curationem, quam ad præſeruationem morborum adhiberi noſtris temporibus, ἀκριβείᾳ. i. *ſedulitate* & diuturnitate quadam, ſolent, remedium antehac nob. fœmina admiſit; Quod factum non incuria ſui, & contemptu artis Ἀσκληπιαδῶν (eſt enim prudens & obſequens;) vel ipſorum Medicorum omiſſione; verum potius quia numquam diu, ac tempore purgationibus validiſque remediis accommodato vtero vacauit. Fertilis enim vſque ad hoc tempus fuit, ac vere reſtibilis, vt conuenienter ac merito dici poſſit ἐπίφορος. i. *prompte concipiens, & aſſidue vterum gerens*; vnde Huic hodie numeroſiſſima proles etiam nepotib. diffuſa, fœcunditate nimirum influente, ac hæreditate, vel dicas, contagione ſeſe propagante: Hinc ob illud notabilia medicamenta proſata. Et quemadmodum ante pluries ſanguis huic ipſi mulieri è diuerſis partibus, ac varia directione, & ad excidendas morborum cauſſas miſſus eſt, (etſi non in hoc vltimo cruento fluxu; & quia reſtitit ipſamet ægra, venæ ſectionem & aſpectum ſanguinis, fœmineo quodam pauore, reformidans exanimata & vilior etiam ipſo illo momento facta; & quod non ſatis virium adfuit) ſic geſtat cauteriũ in ſiniſtro brachio ichores, veluti ploratu quodam, continenter profundens: Remediaq; nonnulla mitia & blanda Sibi ad pericula, & πρὸς ἀνάγκην. i. *ad neceſſitatem* in vſu ſunt, quibus remediis tan-

tam

tam infirmitatem tuetur, tum & affectuum corporis vigorem confringit, & morbos tolerabiles reddit. Sunt ſua & certa cuique generi morborum, ſunt etiam promiſcua & communia quædam; vt ex ſerie capies. Etenim, ad liquandam, aut ſolicitandam aluum, quando ſponte minime ſatis fluit, proque ducendis è corpore, maxime è primis viis, obuiis quibuſcumq; excrementitiis humoribus præcipue atrabilariis, quibus Ægra ob hepatis æſtum & lienis languorem plurimũ ſcatet, promptis ad ſeditiones & tumultus in eodẽ corpore; per interualla ac ſpiramẽta temporũ vtitur modo vino ex ſena, modo prunis vel paſſulis Corinthiacis pari pacto medicatis, modo etiam dicto ſy. de polypodio: Hæc enim vſurpata ſic per vices auxiliaria ſentire fatetur. Ad præparandos humores, ad corpus εὔροουν reddendum & purgationi aptandum, ad contemperanda viſcera, quæ temperie conſtant diſſimili, nec conſociali fere bis in anno, dummodo non ſit prægnans, ac medicationi & pharmaciæ inepta, ſumit varia decocta ex iure carnis, cui incocta ſint borago, betonica, cichorium, meliſſa, farfara & paria iuxta ſtatum tunc præſentem corporis & vrgentiam ſymptomatum. Sumus enim nos Medici, vt ſcis, inſtar nautæ, qui ſi ab alto ſpirat ventus, vela pandit & nauigat, ſi ponit aut ſe vertit, contrahit eadem, & ſiſtit, aut flectit; haud aliter & nosipſi in diſcriminibus, in confuſo & perturbido valetudinis ſtatu, ſæpe in conſilio manemus, & medicamur obnoxiis, paulopoſt alio vertimur, mutamus medicamenta vel aptamus, flexu vtimur, miſcemus, minuimus, augemus; & crebro decora inconſtantia, quę alias iuſſimus, omnino vetamus, alias, quæ vetuimus, iubemus, prout manet ſcilicet, aut variat, aut abit vis & vrgentia, qua dirigimur, indicãtiũ, & coindicantiũ: illuc ſcilicet cõſilia auxiliaq; noſtra trãſferimus; vnde ægri vtilitas oſtenditur. Quocirca, vti ſæpe medicamenta aptamus & flexu vtimur, noſtro in caſu; ita quoq; longe pręſtat per grauiditatem ſuſpendere medicationem, ferre, inquam, antiquos morbos, ſi non admodum ijdem vrgeant, ſi non multum anteueniant, nec periculum minentur, quam obnitendo medicamẽtis materiam & alimentum (vt ſic dicam) præbere abortui & inualetudini: Vnde tum ob id, tum ob pares caſus prudenter ille dicebat. *Plus Medicos interdum quiete, quam mouendo, atque agitando proficere*; ſed ſatis philoſophiæ; Hiſtoriam proſequamur. Alias

Medici comparãtur nautæ.

pari cum ſuperiori conſilio, ac firmando partium nobilium robori vel ſummo mane, vel ante cubitum, maxime purgato & perpurgato corpore, vtimur conſeruis capitalibus; nonnumquam etiam cordialibus ad Melancholiæ delinimenta; imo capitalibus in frequentiori vſu habitis quandoque immiſcetur portiuncula Mithridaticæ confectionis, quippe quę confectio ſuper id, quod cor & cerebrum ſummopere conſolatur, calorem vltro natiuum languidum excitare & reaccendere conſueuit; ſicuti etiam ad inhibendam materiam catarrhalem & pituitoſam, ne copioſe & impetu ruat ad pectus, & ad exturbandam, atque educendam iam prolapſam, pectorique infarctam ſuis temporibus præ manibus eadem fœmina habet varia alia opportuna remedia *ἐκλείγματα*, quæq; delinguntur, ſeu ori indita ſenſim liquefiunt & deglutiuntur, ex quibus nō modo ſpem, atqui ſolatium & iuuamen ſumit. A priuatorum medicamentorum recenſione libenter abſtineo, quod doctis ea clara ſint, nec legi ſine tædio ſoleant, ſufficiatque ſæpe in his genera & claſſes ſignaſſe. Ἔρρινα quoque, medicamenta ſcilicet, quæ naribus purgando capiti, infunduntur, ſuis temporibus Mulieri macte proficua identidem obſeruantur. Fiunt etiam lotiones capitis ſiccæ vel humidæ ex iis, quæ exſiccare, alterare, & corroborare dictam partem putantur.

Cucufa quid calantica. Præterea τὸ πιλίον *tegmen* ſcilicet *capitis*, calanticam (cucufam hodie vocant) paratam aptamque vſui habet, floribus capitalibus, agalocho, corticibus citri, gariophylliſque pulueratis ex arte refertam, qua tempore hyemali vtitur tum ad arcendam nocturni aëris frigiditatem, tum ad exſiccandum caput, huicque robur mirificum addendum. Ventriculo quoque languenti & egeno, necnon lieni nimium in perniciem corporis luxurianti, ac flatibus & aqua ditato extrinſecus ſuis proſpicitur loco remediis, è quibus robur ſumunt partes & intemperamenta emendantur. Vinum continenter Fœmina miſcet atque temperat; ſed hyeme præcipue per aquam coriandrorum, vel illam, cui incoctum lignum viſci quercini, aut eius loco pentaphyllum: Hac pentaphylli præſertim vtitur, ſi ſtupores illi digitorum, vel brachii dolores crebritate paroxyſmi & acceſſionis ſibi infeſti ſint; Amo ipſe ſic potui & alimentis immiſcere medicamenta, quod ſui copia ſimul nutrire poſſint & attemperare, aut aliter morbo obſiſtere. Vnde recte & Hippoc. dicebat. *In alimento pharma-*

pharmaca optimum. Atque vinum potui eligit Fœmina mediocre, clarum, maturum ſiue grate auſterum, cuius quoque natura parciſſima, cum non amplius ter ſuper prandium & cœnam bibere ſit ſolita, quantitatem libræ cum ſemiſſe non excedens. Quemadmodum etiam ea potiſſimum cibariorum genera amplectitur, quæ alunt, neque onerant, ſimulque facile concoquuntur, & ſuccum optimum gignunt, ſemperque menſas claudit vel coriandro vel fœniculo viridi ſeu ſicco; ſicuti etiam alias cydonium coctum, aut pyrum vſurpat vicem illorum & vſum ſupplentia: Quinimo cœnam quandoque prætermittere, vel leuiter attingere inter remedia habet. Sique ſatietate & repletione nonnumquam delinquit, mox ſubita inedia vel ſobrietate corrigit, cruditateſque inhibet. Bis in die veſcitur, certo tempore, & loco, exſpectat tamen deſiderium ſtomachi, nec ante cibum capit, niſi priore concocto, quod κεφάλαιον, vt ait Galenus, ἐστὶ ὑγιεινῆς διαίτης. id eſt, *caput eſt ſalubris diatæ.* Et ſi triſtitiam exueret, ſique animum magis abduceret à cogitatione & ſolitudine, quæ duæ velut nutrices ſunt melancholiæ, optimum fore exiſtimauerim. Quod obiter ſit tibi tanquam materies monita ſpargendi. *Melancholiæ nutrices quæ & quot.* Proximis diebus, quod properemus ad hyemem adulto autumno, cautione ſolita, Mulier, cui meliuſcule etiam in dies eſt, blande bis purgata fuit. Primum ſy. de polypodio. Secunda vice, antecaptis ſuis præparantibus, rhab. & agarico troch. de more infuſis & expreſſis, ſuperaddito dicto ſy. quibus καθολικὸν *vniuerſale* medicamentum factum; nam ex æquo in hoc corpore tum bilis præcipue atra, tum pituita abundant, illa ob æſtum hepatis, & lienis infirmitatem; pituita porro ob cruditates: Et ideo vtraque educenda. Nunc vero ſingulo mane in diluculo ſumit non citra alleuationem decoctũ ſimiliter ex iure paratum, cui, ex more, ſarſa parilla, lignum viſci quercini, ſandali albi, & farfara incocta ſunt. Hoc enim medicamentum (ſi ipſius vires plene æſtimentur) moderate exſiccat, extenuat, obſtructiones aperit, conniuentiam & contractionem oſculorum venarum recludit, ſanguinem meabilem reddit; idque omne præſtat citra inſignem caliditatem; & vt ſummatim dicam, corpus efficit εὔρουν, id eſt, *fluxum & lubricum*, atq; humores cunctos vna veluti adæquat, componit, & reducit: Menſes tamen vt non ſiſtit aut remoratur, ſic pariter non prouocat, quod vtile & expeten-

dum maxime, noſtro in caſu, ſuſpecto ſcilicet & formidato eorundem fluxu, quem habere διάθεσιν, id eſt, *diſpoſitionem & apparatum* in corpore, ſuique fautrices cauſſas, par eſt credere; cum toties ἀλαζονικῶς, id eſt, *arroganter* redierit. Habet & id ſumme exoptandum, parte altera, præſens medicamentum, quod familiaribus qualitatibus, *αἰτίᾳ ἀδήλῳ cauſſa occulta*, ſympathia quadam, τῇ δυνάμει, vt dicere ſolitus eſt Hip. reſpicit tum caput, tum pectus, mēbra potiſſimū affecta; cuius medicamenti vis, cum non impetu, ſed potius diuturnitate agat, haud illico extinguitur; verum poſt vſum, in poſterum valeſcit. Atque ego, ſi me effundere in aſſerendo, laudandoq; hoc medicamento velim, ampla materia eſſet; ſed malo te hæc aut à te ipſo habere, aut ab aliis petere, qui in facultatibus medicamentorum ſcribendis has diſſertatiunculas veluti pro præcipuo ſcopo habent: Mihi alia mens eſt. Et tamen quicquid ad rem dici poteſt, præcipua eius hic iacta cernes. Enarrato medicamento, vt *ſuperius* tetigi, par victus ratio adiicitur, quæ ſolet vna longos & inueteratos morbos tandem vel ſuperare, vel ſaltem tardare & frænare, maxime ſi proferatur, nedum cæteris remediis aſſideat. Quibus tamen non obſtantibus in dubia hac valetudine (in qua regimen elementorum iniuſtum, illis nec æqualiter, nec ſimiliter, nec per totum inuicem, vt deceret, per ſingula membra, maxime præcipua temperatis exiſtentibus) duo ante alia hodie formidantur, atque in metu aſſiduo ſunt. Alterum catarrhi gignendi, ciendi, & excipiendi iſthæc infelix aptitudo *συνήγορος*.i. *coætanea, coæua*, fereq; σύγγονος, & à parente ſata, diuerſorumq; viſcerum ſic intemperatorum, & male cōſtitutorum fœtura, ex qua infinita prope mala huic mulieri ſunt, & maiora impendent. Alterum eſt relapſus illius menſtruorum fluoris, antegreſſu inſidioſę eorumdem ſuppreſſionis, qui fluor immodicus vel mortem citam & repentinam comminatur, præcedentib. illi formidoloſo anxietate, animi deliquio ingenti, & parib⁹ ſymptomatibus; vel viam aperit & ſternit deprauationi & pditioni nutricatus, cachexiæ, & hydropi, q̄ affectiones τῇ κατασκευῇ.i. *cōſtitutioni* huius cauſſarii corporis, frequenti prioris æui partu fatigati & effœti haud impares ſunt. Primum periculum (vt auctoritate, quod dixi, firmetur) tetigit Hippocrates illis verbis. *Quibus effuſo ſanguine ſudatiuncula eſt, grauiſſimum habent malum: Atq; hi vitam finiunt voce capti, nec*

opinan-

opinantes. Id enim tandem ſequi ſolet ad anxietates, deliquia animi, impotentiam & paria fluoris cruenti conſectaria, & ſuccedanea paſſim mala: ſic Gale. *5. Aph. 16.* cum interpretaretur verba illa Hippo. πάντα ὅσοι θάνατος. dicebat ſanguinis effuſiones & animi defectus conſequi è veſtigio mortem, mortem, dico, clandeſtinam, citraq; moriendi ſenſionem accedentem. Non alio ſenſu Ariſt. philoſophorum magnus adnotabat & ipſe 3. *de hiſt. an. 19.* ad multam ſanguinis effuſionem animam deficere, ad nimiam vitam interire. Huc ſpectat & illud Hippocraticũ Ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς καὶ λειποθυμία ἢν ἐπιγένηται, κακόν. *Si muliebri profluuio conuulſio, aut animi defectus ſuperueniat, malum.* Secundum vero, quod ex cruento fluxu imminet diſcrimẽ, animo euoluens idem Hipp. *6. Aph. 4.* dixit ὅτι ἐξ αἱμοῤῥαγιῶν ὑδερῶνται. i. *quod ex hæmorrhagia hydropiſcunt:* ſic etiam Galen. *4. de Præſag. ex pul.* opportune monebat, immodicas menſtruorum euacuationes aquam inter cutem gignere. Et hi ſunt morbi illi, me iudice, quos Hipp. *5. Aph. 57.* fieri non quidem immediate ex vtero, ſed ex reliquo corpore aſſerebat, menſtruis ipſis abundantibus. Tumor ille vetuſtus, & tacitus hodie, id eſt, neq; excreſcens, neq; palam moleſtus, ſiue ſit vteri, ſiue omenti, neq; curari commode poteſt ob loci incommoditatem, & morbi contumaciam, propter quod alias non ceſſit remediis εὐκαίρως. i. *conuenienter* adhibitis; neq; ſi poſſet, curari, forſan decet. Scitum eſt enim illud ſummi præceptoris. Ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκῖνοι γίνονται μὴ θεραπεύειν βέλτιον. i. *Quibuſcunque occulti ſunt cancri, non curare melius.* Scirrhi abſconditi & inueterati fere par ratio, cũ ſit inchoatus cancer, ægre mutationem vllam ſecuram accipiens. Cura tamen adhibetur, & victu emendato, & aliis præcautionibus, ne ingraueſcat duritas, ſeu ſaxeitas (vt nuncupare ſolet Aurelianus) atque interim, ſi poſſibile, aliquando leuior fiat; multa, inquam, huic morbo adhibentur, non in remedium, ſed in leuamentum. Idem pene affirmari poteſt de illo melancholici morbi momento, quod hodie pariter redundat in corpore Mulieris. Nam illud demulceri varia medicatione poteſt, non in totum deleri; & qui aliter in talibus expoſcunt & promittunt ridiculi; ſiquidem ingeniũ contumaciç huius generis morbi eſt, vt ſubiici quidẽ poſſit, non domari. Vnde etiã Plato *in Timæo* dicebat & recte, humorẽ melancholicũ, niſi placide tractetur, immaniorẽ ſemper & difficiliorẽ euadere.

Et reuera ita eſt, validioribus medicamentis non extinguitur, vel diſſipatur talis humor; quin alitur & excreſcit, cui rei rationem & adſpectum in curatione & medicatione inſtruenda ſemper ipſe in caſu noſtro habui, malagmata duntaxat vſurpans, ac vrgenti affectui adhibens, partim etiam *οἰκονομίᾳ* verbis & pollicitationibus mitigans, ſpem & morbi occaſum Ægræ ingerens & inculcans: Melancholia enim vt gliſcit cogitationibus & mœſtitia; ſic eadem affecti ſpe, pollicitationibus, ſolatiis omniq; hilaritatis genere leuantur. Et id eſt, quod narrat Plutarchus, nimirum Antiphontem artem dolorum abolendorum contexuiſſe: ſiquidem eos, qui in mœrore erant, verbis ſubleuabat, auditiſque ægritudinum cauſſis, conſolabatur & erigebat ægros: & hæc eſt illa Galeni *κατήχησις ἰδιωτῶν φιλαλυσίων*, id eſt, *idiotarum animi dubiorum aut perturbatorum inſtructio*, cum Medicus idiotas animi dubios & conſternatos ob ſymptomata, voce inſtruit & erigit. Coafficiuntur enim ſimul conuenientia quadam anima & corpus, & vt è corporis affectionibus ad animum aliquid tranſit; ſic animo lætante & gaudente, corpus vna, vt ſic dicam, lætatur, beneque afficitur. Quapropter in ſanitate deſiderata animus languentium ſtudioſe tenendus, nec vllus ſine ſpe dimittendus; quin plura, quam præſtari queant, haud dedecet Medico polliceri; periculoſum enim & lubricum afflictæ valetudini eſt, triſtem relinquere ægrum: Nam id præcipue vetare mihi ſolenne. Quemadmodum etiam cætera iam ante narrata, re poſtulante, libentiſſime in caſu noſtro vſurpo; memor & illius Medicorum ſciti: *Sane iſtos ab atra bile, dies plerumque ſanat & quies*. Et à multis annis nulli huius morbi, in re noſtra, progreſſus profecto ſpectant caſum. Quæritur modo, & hac lege cuncta ſcripta ſunt, & in examen poſita, num & aliud agendum ſit aduerſus imminentia, aut præſentia mala; quidve inſuper plenius prædicendum, manente hac rerum & valetudinis difficultate; eoque magis id omne decernendum proponitur, quod ætas huiuſce mulieris morbis fractæ ingraueſcit, inſtarque ſenectus, quæ ſolet fouere, alere, & adaugere editos iam non modo, ſed adultos morbos, ſuique natura *ἐπαυξεῖς*, id eſt, *ſemper increſcentes*, vireſq; eundo acquirentes ob poſita iam ante in naturæ vitio ſua firma fundamenta. Solet quidem *ῥοῦς αἱματηρὸς*, id eſt, *cruoris profluuium* vndecunq; & quacunque procedat minus libere

ſub-

ſubſiſtentibus,& ſeneſcentibus accedere, raroque huic ætati fugienti,& labenti ſeſe immiſceri, quod calor iam deferbuerit, factaq; ſit ad frigus conuerſio, & quod in corpore exiſtat vna moderatio, & æquitas placida humorum haud orgaſmo (citra quem non eſt profluuium) obnoxia. Cæterum in nob. hac muliere cum proprietate quadam naturæ,ratione,inquam,temperamenti, complexionis, habitus, conformationiſque nonnulli adhuc igniculi *αἵματος ἐφθαρμένου διὰ τὴν χολὴν*, id eſt, *ſanguinis à bile corrupti* in corpore ſuperſint,viſcerumque *ἀτονία* cum vaſorum laxitate coniuncta iam nunc plana,obuia,& firmata etiam conſpiciatur, quo datur opportunitas ſanguini diffluendi; iure de nouo fluoris relapſu ſuſpicari poteſt: eoque plenius, quod reliquum ſanguinis huiuſce corporis craſſum ſatis, fœculentum, viſcidum & ad fluendum ineptum apparet, vnde materies inſuper & obſtructionum & ſuppreſſionis iniuſtæ menſtruorum, quæ ſuppreſſio reapſe ſementis & principium tacitum eſt mox adfuturi profluuii. Hoc enim ſenſu (vt puto) opportune animaduertebat auctor Coacarum (ſiue fuerit Hippocrates ſiue alius) ſanguinis fluorem diſceſſionem ſiue *ἀπαλλαγὴν* minime libenter facere etiam poſt 42. ætatis annum, cum eiuſdem fluoris cauſſæ radices altas egerint, & originem, ortumque habuerint in iuuentute. De conſimili cauſſarum vitii huius nixu & firmitudine tanto impenſius nobis quoque formidare licet in præſenti caſu, quod adhuc nulla menſtruorum vacuitas in Ægra conſpiciatur; quandoquidem frequentia & conſuetudine ſolita, etſi ordine inconſtanti, per ſingulos menſes hiſce temporibus purgatur, & redundanti humore exſoluitur. Auget vltro diſcriminis & regreſſus morbi ſuſpicionem ordo eiuſdem periculi, vel morbi alias obſeruatus ac editus. Etenim prima vice, alterno tum ſuppreſſionis menſium, tum fluoris vitio, malum periodos quaſdam & regreſſus habuiſſe dicitur: Nam, vt audio, poſt ſex menſes primum ſuppreſſio, mox repente eruptio importuna, vt de ſanguine fieret (quod dicitur) veluti flumen, repetiere; quaſi interiecto tempore arma hic hoſtis ſuſpenderit,& otium moliretur, vel potius cuniculos & apparatus facinoris callide ſtrueret. Non abſq; ratione igitur cum modo tempus conſimile reuerſionis, paroxyſmi, acceſſioniſque malorum inſtet, timeri poteſt, ne potius hodie laxatione quadam, induciis,

quam ſanitate ſeu vera pace fruamur, neu infortunium vtriuſq; periculi (cuius cauſſæ ſuperſtites nunc tacitæ latent, mox excitandæ & explicandæ fortuita προφάσει) incidat de integro & reuertatur, ſtructos cuniculos, vt ſui moris, ſubuertens; atque vltro, idipſum malum, inſtar importunæ & contumacis αἱμοῤῥοίδος in labenti ætate multoties non tam humorum incompoſitorum & ſolutorum τῷ ὀργάσμῳ, quam viſcerum atonia; & vaſorum laxitate creſcentis & floreſcentis, lectiſſimā Fœminam (vt paulo altius dicebamus) vel præcipitet, vel tractu, & lento morbo abſumat, ducatque ad ſummam viſcerum labem, quam veteres μεγάλην κάκωσιν nominarunt: Vnde poſtea deprauatio, & perditio nutricatus, cachexia, & hydrops (quę mala Deus auertat) impendent: Et occulte, vt addidi, atque ex inſidiis. Qui vites telum, quod non vides? cæteri morbi haud muti (vt dicere ſolebat Plutarchus aduerſus Heſiodum) laſſitudinibus, horrore, inſomniis, affectibus animi, extreme laudabili corporis habitu, cauſſa procatarctica, vel ſimili ratione præindicari multoties ſolent & prouidētur: at ſubita & improuiſa pernicies eſt ab huiuſmodi profluuii malo, quod ſilentio etiam ſubit. Minari id credis? blanditur: ſanitatem, dico, æmulatur & repræſentat; Morbum præferre? grauiditatem. Et ea ipſa ſanguinis copia, qua Mulierem præcipitat, roboris prius ſpecie demulcet: & nedum citra febrem vel rigorem, at etiam citra cibi faſtidium. Vt ſcorpiū ſi manu teneas, ludere pauliſper videtur, mox ferit te obliqua cauda: Et habitus corporis ſolito craſſior & nitidior ſuſpect⁹, imo inſidioſus eſt, velociſſimeq; relabitur: tale quinimo amplius in iſto vitio eſt, à quo cum lædi nihil timeas, iam læſit. O malum deteſtandum! & ex oraculo Hipp. ſcriptum. *Peſſimum* (verba eius preſſe interpretor) *muliebria cohiberi*: nam vt alio loco dicebat. Καταμηνίων γινομένων πλειόνων, νοῦσοι ξυμβαίνουσι, καὶ μὴ γινομένων ἀπὸ τῶν ὑστέρης ξυμβαίνουσι νοῦσοι Vt iure τὸ παλίμβολον. i. *dolosū inconſtans* tale vitiū appellare etiam liceat. Igitur, ex omni parte, tenuis hæc & lubrica Mulieris valetudo noua & aſſidua vt flagitat nō ſolum poſcit remedia, ſic eodem trahit ipſamet ægra, cui, vt cæteris, blanda eſt ſperandi pro ſe dulcedo, quæq; priuatim vel medicamētorum vſu & tractatione in ſpem mire vltro erigitur. Quod nouum genus præſidii aut alleuationis, ſic atteſtante etiam Auic. illis verbis.

Confidentia vis.

Actio à confidentia dependens efficacior eſt eo, quod agit Medicus medicinis ſuis.

ſuis.Quod antiquitus attingens pariter Seneca ex ſcitis Medicorum pulchre dixit *4. Decl. Nihil magis ægris prodeſt, quam ab eo curari, à quo volunt*; Aurelianum eſt illud. *Vbi ſpes, ibi remedium*. Vnde videre eſt ægrotantes quamplurimos ex concepta mox de Medico opinione, maxime apud quē auſpicia ſunt, priſtinæ ſanitati reſtitui. Vetus eſt illud Platonis. *Διὰ τοῦ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὸ πράττειν ἐστί*: *Ab eo, quod placeas hominibus, actionum efficacia eſt*. Quo ſpectat id ipſum illud iactum Hermoctatis infeſtiſſimi Medici, à quo ſi quiſpiam ſomniabat ſe ſe curari, protinus (vt ait Martialis) interibat: Certe aſperantur cuncti morbi, inflammanturque ſuperuentu infortunatorum & eorum, quos odimus & deſpicimus. Vnde tum ob id, tum ob ea, quæ prius dicta ſunt non male Hippocr. dicebat; *A viſu etiam & auditu corpus caleſieri & frigeſieri*. Noua remedia itaque adhibenda vel alias proficua iteranda; ſed in tempore, ideſt, tempeſtiue & cum intermiſſione. Enimuero morborum ſæuitiem magis corrigit multoties parcitas remediorum, quam multitudo; atque cedere quandoque morbo, dummodo rurſus inſtet Medicus, conſilii, quam inſcitiæ vel omiſſionis arbitror. Ac melancholia affecti vltro, cum præſentia non deleant morbum, alia adſpiciunt & optant; atq; varietatem & mutationem remedium miſeri, etſi ſecus experiantur, deſtinant. Nec placent mihi illi Medici, qui ægrorum purgationi vel medicationi continenter imminent, & ad eas languentes ipſos officii ſpecie; licet præmia quærentes, vocant, cum ſæpe vtilior ægris ſit quies, quam motio & agitatio. Vidit hoc prudens Galenus *3. Aph. 5*. Et inquit. *Ea, quæ fit per purgantia pharmaca, ſuperfluitatum euacuatio valde indigentibus & ex longis interuallis vtilis eſt*. Et eſt fere id, quod ſcribit Plato *in fine Dialogi de Nat.* Dicens, purgationem pharmaco factā aliquādo ei, qui valde cogitur ad eam ipſam, vtilem eſſe, alias nequaquam. Et qui Medici ſecus audent aut faciunt (ſit mihi venia) dehoneſtant primum artem, deprauant ſecundo ægrorum valetudinem, ac paulopoſt contemnuntur & deſpiciuntur ipſi quoq; tum ab aſtantibus, tum maxime ab ęgris, dum morbus aut in peius cedit, aut vltra promiſſa eorundem Medicorum producitur: Hinc ſatius ſemper eſſe putaui, periculoſum & odioſum purgantium frequentem vſum temperare diæta ac omni alia medica œconomia; aut non vltra, quam leuioribus alterantibus morbi

vim coercere. Sperno etiam iſtos,circa ægros,nouatores,qui vt aliquid ſui videantur afferre, etiam recta commutant: Vti quoque vileſcit Medicus,qui vacillat,fœdaque inconſtantia,quæ iuſſerat,vetat,quæ vetuerat, iubet, μένοντος τῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς *ſtante eo, quod à principio viſum eſt*,ait Hippoc. Quo caſu ipſe potius, non iuuantibus vel etiam nocentibus, quæ iuuare debent; vel vires medicamenti augeo, vel commuto medicamenta cum aliis ſimilibus intentatis; ne priorum antipathia, aut vſus iam naturæ contemptui obſtet aut incommodet: Non nego tamen, quin in malo & turbido valetudinis ſtatu liceat quandoque circuire, & obliquare,vt ſic dicam,ſinus;imo ſi recta portum tenere nequeo,idipſum,vt præmonui,mutata velificatione aſſequor: Et corporis vitia vetera ac diu aucta per dura & aſpera coercenda quidem ſunt; at ſi tuto fieri poteſt; quod eſt Hippocrati ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων, id eſt, *ſi ægrotus par eſſe poßit.* Nam alias feſtinatio improuida eſt & cæca; vti omnia non properanti clara certaque ſunt; circumſpectionem laudo & vſurpo: Et fiducia multorum noxia; quippe audacia & temeraria remedia prima ſpecie læta quidem ſæpe ſunt,tractu dura,euentu crebro triſtia: Audi, & rem explico; in communi quidem remediorum adminiſtratione,&pluribus morbis ita eſt;at in aliquo & ſubito diſcrimine ἐν τοῖσι λίαν ὀξέσιν, vt ait Hippo. vtiliter & neceſſario extrema remedia cito, αὐθημερὸν,ὀξέως adhibenda. Etenim *cunctatione non opus, vbi pernicioſior ſit quies, quam temeritas*;quod attingens identidem ſummus præceptor apposite monebat *4. Aph. 10.* χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι κακὸν, id eſt, *differre in talibus malum.* Cui ſimile & illud καὶ ὅκου δεῖ μέχρι λειποθυμίης ἄγειν, καὶ τοῦτο ποιεῖν *& cum expedit vſque ad animi deliquium ducere, hoc quoque faciendum.* Quod explicans doctus Arabs Auic. *4. 1. d. 5. cap. 1.* probe dixit, me iudice, *Et dicemus,quod in ægritudinibus,in quibus eſt timor,& non ſumus ſecuri ex defectu virtutis,ſi quod facere debemus, tardauerimus,aut ex eo aliquid alleuiauerimus, à forti medicamine primo incipere debemus.* Et eſt id,quod pariter exprobrabat & obiiciebat Gal. *5. Meth. vlt.* imperito,apud quem prouidentia laborabat,Eraſiſtrato,ſcribens ille. *Minime igitur (ſicuti Medicorum nonnulli cenſent) à paruis incipiendum auxiliis eſt: Nec ſicut illi dicunt ſentiendum,iſta ſcilicet prius eſſe tentanda,mox ſi nihil profecerint,aggredienda maiora. Nam in morbis, in quibus periculum non impendet,vera ea opinio eſt; at vbi moriendum ægro*

prorſus

prorſus eſt, ſi phthoe ſemel exceptus ſit, alieniſſimum à ratione eſt, à minoribus inchoaſſe. Qua nam igitur inductus opinione Eraſiſtratus in talium affectuum principio ſegnis tarduſque eſt: poſt diligens cum periit occaſio? In ancipitibus, deterrimum eſt, media ſequi: Deprauant enim magis, vt plene explicat idem Galen. *1. Aph. 17.* Ita eſt, etſi plerique hic peccant, dum in grauibus morbis vel inutili cunctatione agendi tempora conſultando conſumunt, vel vtrumq; conſilium aſpernati, quod inter ancipitia deterrimum eſt, dum media ſequuntur, nec audent ſatis, nec prouident. Tutum eiuſdem Galeni ex Thucydide Conſilium *10. Meth. 10. Neceſſarium arbitror in magnis ſcilicet periculis, agentes aliquid vel periclitari. Quibus enim alia ſalutis ratio non eſt, & quæ vnica videtur, ea dubia eſt neceſſum, arbitror, his eſt aduerſos periculis ire*, etiam vſtione, ſectione, aut quã alia ſimili materia (addo ipſe) tacta ab Hipp. *6. Epid. 6. 5.* ſi morbus expoſcat. Vnde non male & ille dicebat: Grauioribus morbis periculoſas & ancipites curationes Medicos adhibere cogi: In rebus enim aſperis, & tenui ſpe, fortiſſima quæq; conſilia tutiſſima ſunt. Et vt Poeta quoque monet, *Capienda rebus in malis præceps via eſt:* ſcilicet, vt quiſpiam interpretabatur, ab his, quos deſperauit, recedat Medicus: non tamen cito relinquat, ſed in ipſa deſperatione extrema remedia tentet: nam etiam gubernator vbi naufragium timet, iactura quicquid ſanari poteſt, redimit; ſic & nobis Medicis nihil intentatum relinquendum, vt ſuperſit ac prouiuat ęgrotans: Ad id reſpexit Hippocrates illa pulcherrima gnome. Ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νουσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην, κράτισται: Diſcrimine tamen hic opus eſt: Nam quamquam in aduerſa valetudine nihil ſerui à liberis; populus, & modicæ domus à principibus viris differant, mollius tamen liberi, principes, & dynaſtæ tractandi ſunt; & aliquid conſuetudini & fortunæ dandum: Quibus peractis & recte obſeruatis, ſi res probe non cedit; prauitas & contumacia morbi incuſanda: Nec audiẽdi illi inuidi, & calũniatores, qui, rumoribus, aduerſa Medicorũ in ægritudinis & ſtatus corporis languentis ignoratione; ſecunda, in caſum; fortunam & extremam peritiam ſeu ſolertiam in temeritatem declinando, corrumpunt. Sed hæc vel in tranſcurſu, & remediorum recenſione obiter iniecta & ſignata ſint. Finio, cum munus meũ iam integre expleuerim. Tuum modo erit (quiſ-

quis fueris *στοχαστικὸς excellens vir*) qui hæc noſtra videris, hætere, cuncta ſubtilius diſcutere, opportuniora, auſpicio liquido, ſuggerere, noſq; de plebe litteratorum & Medicorum valetudini aſſidentes, & inceptæ curationi inſiſtentes monere & dirigere. Id enim totum ad te deferimus non vt aſſenſum, ſed vt conſilium, opem, ſuppetiatumque petamus, in eo præcipue, quod tangit curationem morbi, contra cuius pertinacem vim nullum medicamentum reſiſtere poteſt. Conemur itaq; vna mole, mutuis viribus tu & ipſe, ne magis in præceps ruat hæc valetudo, ſiſtamus, ſi non poteſt reduci. Tu, inquam, alluce, delibera, & ſuppedita, & ego conſtituam: id eſt, agendorum opportunitatem ſumme valentem in Medicis rebus, & pollentem legam, iuxta præcepta proxime ex antiquis tacta. Et ad rem non tam medicamentis, quam diæta & quouis alio fomento, *οἰκονομία* medica incumbam. Et ſi quid minus recte dictum in Hiſtoria noſtra & ſcripto offenderis; ſcias, vt leui, & ex temporaneo ſtilo, ſic curſim (vbi facilis lapſus & relapſus) hæc pauca exarata eſſe; & ad hominem non ad homines data; & ſi ad homines, ad paucos certe & amicos, aut notos, nec vt diuulganda aut proferenda. Quamquam ſolicitudo etiam, quæ eſt in feſtinatione, noua & recenti cura, ſoleat quandoque commendare euentum, & lenocinari voluptati. Sicque habe (amice Lector) vna cum libello, imo ſcriptione, conſilii, & inſtituti mei ſummam. Et Vale.

* * *

ALTE-

ALTERA
HISTORIA SEV INSTRVCTIO MEDICA
PHYSIOLOGICA, PATHOLOGICA, ET THERAPEVTICA

CONSILIVM AVCTORIS

ET OBITER FINIS ATQVE Vtilitas Hiſtoriæ ſeu Inſtructionis Medicæ.

ADSVM tibi (benigne Lector) altera HISTORIA medica, ſed ſtrictiori, magiſque ſuccincta, in qua, cauſſa omni ſepoſita, per me nec deliberatio vlla, vel iudicium: Conquiſita enim duntaxat, & inquiſita, id eſt, quæ ex percunctatione mihi audita ſunt, vel aſpectu & tactu plane circa Ægram cognita, vel medicamentis tandem hucuſque acta, & tentata denarro hic ſimpliciter, & notifico. Quicquid ſit tamen, non caret ſolita, & ſtudioſis iucunda methodo, quæ diſponat, & ordinet cuncta: Naturalia primum, mox triſtia Morborum, deniq; inſtitutam, & tentatam Medicationem. Abiicio interim ipſe manifeſta vel importuna, & ſuperuacanea; ſtringo, inquam, & interius adduco, & ea carptim recito ac perſcribo, quæ pondus in ſe habent, facereve poſſunt ad lucem & Inſtructionem conſultoris, & illius, cuius iudicii calculus addi optatur. Nam ſicuti qui in via medius eſt, digitum ingredientibus oſtendit ad ipſam metam, & qua ire cœpit, eũdum dicit, ſic ipſe ducis inſtar, & exemplo, hoc, inquam, ſcriptionis genere dirigo te ad ipſum illud, quo ſpiras, & iuuo aliquid cupiĉtem nouũ Medicum arbitrum & conſultorem futurum inſtruere & compotem omnis ſtatus ægri tui efficere, nec non ad conſilia prouocare. HISTORIOLAM igitur, quam

quam libuit ſic commodi & vtilitatis tuæ gratia addere, libenter lege, ſodes; & ſi digna, eadem ale ingenium tuum & paſce; id eſt, ad vſum trahe, ac Inſtructiones & Narrationes tuas ad hanc ipſam conforma. Vis, promam, quod videtur? ſæpe miratus ſum, cum multæ hodie circumferantur priuatim Hiſtoriæ, abſentibus, & conſiliis ſuperfuturis Medicis inſtruendis conditæ (omiſſis etiam iis, in quibus inſcitia eſt & ſermonum multitudo) nullam tamen reperiri, quæ methodum & veram artem ſeruet, quæq; amota philoſophia, citra deliberationem, conſiliorum mixtionem, citra excurſus, atque doctrinæ, & remediorum in futurum adhibendorum vbertatem, denarrationem, familiaris Medici Inſtruentis experimenta ægrum ſubiectum ſpectantia pure, nude, & ſimpliciter contineat, & perſtringat; ſine quibus experimentis, cognitis, obſeruatis, cui vſui omnis illa Inſtructio? ſpeciem, non rem habet, & multi in curſu ſunt, pauci ad metam veniunt, & verum Informationis (vt loquuntur) finem; quod hic me feciſſe puto, iuxta rationem ſub limine prioris Hiſtoriæ indicatam, & aſſertã, cui identidem robur do ab hac Scriptione ἐξηγήσεως, qua veluti repręſẽtatione ἅπαντα τῆς νοσήσεως τὰ πράγματα *omnes* ſcilicet *Aegræ res*, imaginem totius ſtatus valetudinis, formam & ſeriem tentatæ, irritæ & inſtitutæ Curationis exprimo, ac facem quaſi cæteris Medicis in hoc præfero; tandemq; hac eadẽ ipſa conſulere abſenti & ignoto, vel huius poſtulatis reſponſum rectum dare, quod perarduum putabat Galenus, ſatis facile reddo. Quod ſi etiam non talis, etſi multis, dum in obſcuritate, & ſilentio reponebatur, placida, ſed minus perfecta tibi videatur mea iam nũc in lucem prolata Inſtructio, alia ratione tamen in totum non ſpernenda; quod eadem, vti priori, gradum ſtruximus tibi, hac in re, in pari argumento, ad maiora & meliora, quæ tibi ipſi parient ſuper Has, ſi non aliud, tempus, & in opere exercitatio; hæc enim artem parat, ars decorem. Et ideo non vere docto has HISTORIAS proprie damus; ſed vt qui ſagittam mittit, ſcopum intuetur, non circumſtantes; ſic mihi nunc tyrones & Medicinæ candidati in oculis, non ſi quis eruditus & conſummatus forte leges: lege tamen, me optante, vel ob nouitatem Scriptionis & materiæ, & cœptum hoc argumentum, vt aiebam, perfice. Et vale.

ALTERA HISTORIA MEDICA

PARS PRIMA PHYSIOLOGICA

Temperamenti ſeu Rerum Naturalium Deſcriptionem, & Signationem continens.

CVR & hoc loco muliebris inualetudinis HISTORIAM pariter ſcribendam ſuſceperim, fuit partim caſu, partim electione: Caſu, quia ad id ipſum me vocauit hæc altera ægra, conſultationis, & exterorum quoque Medicorum conſilii auida; in hac rerum, & valetudinis deſperatione nullius ferme prudentiæ non diffidens: Electione, quoniam morborum fœminarum contemplationes, vti difficiliores, ſic etiam pulchriores ſunt, teſte Hippocrat. *lib. de Morb. Mulieb.* Libellus inſtar prioris tripartitus quoque erit; & ordini indicato inſiſtentes, primam partem, quæ de Rebus Naturalibus, aggrediamur.

Quæ obiicitur adiumentum conſiliumve petens, ſeu curanda egregia, & nobilis mulier iam quinquagenaria eſt, & corporis ſtatura procera; proceritas tamen vti, dum integra valetudine fruebatur Mulier, plane quadrata, & habiliſſima cernebatur, ita nunc non tam ætatis defectu, & inclinatione, quam morbi ſæui & diuturni vitio prægracilis & à ſtatu plurimum dimota conſpicitur. Venæ

huius

huius fœminæ quadantenus amplæ ſunt ac molles. Cutis vero reliquo corpori obducta, albicans, mollis, & glabra exiſtit, ac tangentibus in calore & frigore mediocris occurrens, necnon velut decore egelida: Facies tamen vniuerſa purpureo ſuffuſa eſt rubore. Capilli plurimi ſunt, longi, molles, recti, ruffi cito creſcentes, ac tarde difficulterq; decidentes. Excrementa palati pauciſſima ac nulla propemodum videntur; narium porro moderata. Admodum vigil obſeruatur Ægra breuibus & leuibus ſomnis prædita: Ac proinde ſenſus omnes Ipſi exactiſſimi ſunt, & his aſſimiles operationes tum motiuæ, tum principes, quas adeo abſolutiſſimas cernes, vt in ipſis nihil deſiderare queas. Thoracem amplum habet, & mores compoſitos: in iram tamen, ſed facile placabilem, præcipitem Fœminam agnoſces. Pulſus molles obſeruare licet; in cæteris differentiis & motibus porro etiam moderati ac decentes. Aluus huic mulieri commode *κατὰ φύσιν naturaliter*, vel dicas, ſponte fluit. Menſtruæ purgationes copioſæ ſe præbent, ſeu potius præbuerunt ante tot morbos, in ipſaq; iuuenta atq; robuſta maturitate; optimo colore præditæ; anticipantes, & conuenienti tempore perſeuerantes. Κατὰ δὲ τὰς ὥρας, καὶ τὰς κατὰ στάσεις. *Quod vero ad anni tempora, & conſtitutiones pertinet* (vt Hippocratica phraſi vtar) Temperiei cœli eſt amans ęgra noſtra, &, corpore quaſſato, exceſſuum tum caloris, tum frigoris intolerãs; auſtrinas tamen tempeſtates alioquin propria natura morboſiores magis, quam aquilonias noxias omni tempore ſeſe expertam eſſe palam fatetur. Dum proſpera vteretur valetudine (vt familiare huic ordini hominum, qui in faſtigio ſunt) nullis prorſus Medicinę ſeu diætę legibus ſe ſubiecit, vtpote quæ nullum genus cibi fugeret quo populus vtitur, & ſeipsũ in egeſtate tolerat; & non modo Qualitate & ſorte cibariorũ deliquit, ſed pariter nullũ penes Quantitatẽ, aut Ordinẽ, aut veſcendi Tempus diſcrimẽ & delectũ (quaſi prodito corpore) ſeruauit ſolute viuẽs, vario, & incerto tẽpore, quin etiã ſtomacho nõ deſiderante, cibũ capeſſens, ac morbos manu faciẽs. i. intemperie & luxu: Nã hoc eſt illud miſerrimũ magnatibus, de quo querela apud Senecã; qui magnates cũ nolint mori; pauciſſima tamẽ faciũt, vt viuãt: ſed grauiorib. errorib. obiectãt ſe morbo & neci: vnde iure exſtat etiam Epicteti increpatio; θαυμαστοὶ ἄνθρωποι μήτε ζῆν θέλοντες, μήτε ἀποθνήσκειν: *Mirifice homines, nec viuere, nec mori vultis:*

ſiquidem media oblectatione, & licentia mortem, quam illi ipſi oderunt, quærunt: ſed ad rem: Vitam degit Fœmina, vt obſeruo, minime otioſam ac ſellulariam; non tamen laborioſam: Atque ideo rectæ valetudinis tempore, vel ea nondum liquido labefactata, inſignem ſanguinis vel inculpati, licet tenuioris ac vere ſpirituoſi copiam aceruare conſueuit: Vnde τῷ πλήθει, id eſt, *plenitudine* ſeu copia primum veluti grauante & premente morbi longo tempore intus geniti, & cunctati ſeſe explicare, & Mulierem propalam vexare occeperunt ordine, & ſerie, quam mox ſubiungam, & exprimam.

PARS SECVNDA

PATHOLOGICA.

De Morbis vel Rebus præter Naturam.

FACIES itaque, alioquin colorata, ſaturato rubore in primis Huic crebro ſuffundebatur; cui malo e veſtigio ſuccedebat vel febris ſynocha citra putredinem; modo oculorum inflammatio; modo ſanguinis è naribus profluuium; vel horum loco Mulieri puſtulæ feruidæ vniuerſum fere corpus occupantes & deturpantes, impetu quodam, aſſurgebant, paulatim tamen mox deflagrantes. Quandoque etiam, excalefacto quomodolibet capite, ſeu perpetratis in cibo aut potu grauioribus erroribus, fauces & glandulæ adiacentes inſigniter huic ipſi ægræ intumeſcebant, defluxu materiæ illius tenuioris à capite affecto & rarefacto, ſeu per expreſſionem, ſeu alia ratione, tranſmiſſæ, & facili hauſtu, à partibus laxis & imbecillibus exceptæ. Quibus affectibus nunc imminuendis & ſiſtendis; nunc vero integre ſubmouendis (vt morbos, atq; eorum caſus, & exci-

& exitus ſimul abſentibus memorem) cum nullum præſtantius lõgo vſu edocta, ac varia diuerſaque Mulier experta adinuenire valuerit remedium (Medicis etiam aſſidentibus) ſectione venæ e talo; Proinde ita familiare ſibi effecit huiuſmodi præſidium & vnicum ſuffugium; vt iam inde ab adoleſcentia non ſemel tantum, verum iterato etiam, in ſingulis annis, illo vſa ſit: Ac tollendæ plenitudini ſanguinis pariter digna effatu copia educebatur; vtpote quæ modo ad decem vncias, modo ad libram aſcenderet. Cum vero trigeſimoquarto ætatis ſuæ anno marito iuncta ſolum mutare ſubacta fuerit, ex temperato aere, licet craſſiore in regionem auſtrinis flatibus, magnis ac frequentibus aeris mutationibus expoſitam migrauit. Et concubitum quamuis experta haud vnquam (*quod infelix huic ſexui*) ſobolem ſuſcepit, vterumve geſtauit. Interim vero curis iiſque non leuibus, ſanitati ſemper infenſis, cœpit Mulier agitari; hinc triſtior valetudo, quam aluit & maiorem etiam fecit aeris auſtrini præſens & adſidua noxa, cui malo mox acceſſit Gallici morbi extremum vitiorum cuncta deprauans, ac in maius diſcrimen ponens contagio, præſumpta deciduis capillis, & ſuperciliis, ac palpebrarum pilis rarioribus factis. Integrum autem ſexennium, quo in ſolo alieno permanſit, duobus grauioribus morbis eſt correpta; primum notha pleuritide, ad vltimum, ac tempore multo interiecto, febre, eaque acuta, tum & malignitate corporis calori & humoribus inſultante, inſuper aſperſa. A morbis prædictis fugacibus liberata Mulier, Medicorum conſilio, annum agens quadrageſimum primum in natale ſolum remigrauit, firmandæ valetudinis, & laxandi animi: Atqui ab hoc tempore, quo penatibus Fratris reddita, & terræ ſuæ ſolo & cœlo animari debuiſſet; aduerſa & iam inchoata valetudine magis coonerari cœpit, recrudeſcente illa nullis nouis cauſſis, niſi crebro & vel aſſiduo turbine curarum, quas auget & fouet non raro ſuopte ingenio & interpretatione debilis hic ſexus. Reſoluebant vltro vim tum animi, tum corporis, vt puto, ſuſpicio contractæ contagionis Gallicæ luis obtentum habens, & ſimul diuulſio illa à marito, fœmineo ingenio haud grata & accommodata fortuna; ſiquidem non aliud probis fœminis, quam ex matrimonio, maritique ſocietate & conſortione ſolatium. Merito itaque inualetudinis vitia hucuſq, recondita, vt in tacito, magis ex eo

ſeſe explicarunt, modum, verſo prorſus ſanitatis ſtatu, non tenentia, quorũ ſeriem, aſcenſum vel incrementum (attende benigne Lector) & preſſe recito. Primũ enim facin⁹ auctæ & nouæ inualetudinis fuit ſanguinis è ſede *αἱμοῤῥαγία*. i. *eruptio*, ſeu flux⁹ *προφάσει cauſſa externa* eaq; iam ſignata, vel pari leui, & inanimaduerſa prouocatus, *πλήθει* iam dicto præſente & premente; qui fluxus etſi inter initia, primisque aſſultus diebus, morbo crudo, nondum copioſus fuit; vertiginoſos tamen motus & leues quaſdam lipothymias terrorem incutientes accerſiuit. Ceterum anno . . . huiuſmodi ſanguinis ab ſede profluuium vſq; eo inſigne & copioſum ſe prodidit; vt ſpatio quindecim dierum plures, quam viginti libræ cruoris emanarint: Quo proinde tempore diuturno etiam implicita fuit Mulier morbo, febre nimirum, & hæmorrhoidum dolore, quibus adeo atrociter & extenſe vexata eſt, vt integros ſex menſes decubuerit, ſimulque cachexiam huic fluoris generi ſuccedaneam ægritudinem contraxerit, quam auxit & formidoloſiorem etiam effecit crurum & coxarum extumefactio, ac ingens quidam ad hydropem introſpectus apparatus & horrenda inſtructio, ſic ſenſim vi diuturni & frigidi morbi comparata. Recta tamen ſeruata viuendi ratione, quã cœpit tandem iam grauioribus erroribus impar, & metu vltro vrgentioris mali coercita quamuis ſeram amplecti; tum & multorum clyſmatum vſu potius, quam vllis aliis valentioribus præſidiis priſtinam recuperauit Fœmina valetudinem, labefactatam tamen & aliquo modo laceſſitam, id eſt, vacillantem & variantem. Interea cruoris fluor perſeuerauit; licet non admodum frequens aut copioſus. Anno autem .... poſt acutiſſimum, bilioſiſſimum ac inſuper *κακοήθεια* i. *malignum* morbum, quo vix alium aut maiorem, aut plura, grauioraq; ſymptomata inferentẽ animo concipere poſſumus, ſingulis fere menſibus (vt carptim præcipua morborum perſtringam) ab hoc ſanguinis fluore eſt correpta, nunc quidẽ copioſiore, ac diuturniore, quandoq; minore, ac breuiore, cui ſæpe aſſociabatur menſtrua purgatio, fluxũ tamen ipſum crebro præueniens, anticipanſq;. alias vero hic idem è ſede contumax fluor vno vel altero menſe integre ſupprimebatur, vel certe parciſſime fluebat. Proxima aũt æſtate, ſuppreſſis iã ex toto menſibus, copioſiſſimus inde perſeuerantia quadã ac diu effluxit ſanguis; atq; hic ipſe fluor tertiũ hunc, quo hodie

die detinetur Fœmina, exciuit ſæuum morbum, quo manente, ſæpenumero etiam ſanguis ille proſiluit, hocq; fluēte, aut mox fluxuro ſemper morbus inualuit & exacerbatus eſt; ita tamē, vt poſt fluorē mitior euaſerit: Quin etiam venter, congeſtis inibi cruditatibus, aceruatis flatibus, extumuit notorie, licet ad tempus & fugaciter, leui, dico, & extemporaneo vitio; ſiquidem fluore ipſo ceſſante, protinus abdomen detumeſcebat, & relaxabatur. Sanguis porro erumpens è ſede variæ propemodū eſt ideæ, nunc craſſus, nunc albicans, nunc nigricans, & nonnunquā liquidus, alias vero grumoſus; crebrius tamen poſt effuſionē, vt fieri aſſolet, concreſcit; Amplius fœcibus permixtus quandoq; ille idem apparuit; vt plurimum vero ab eiſdē ſeiunctus conſpicitur. Alterū, quod priori ſuccreuit ſymptoma, fuit alui *ἐπίσχεσις ſuppreſſio*, duritas, merito cuius multis ab hinc annis eadem aluus non niſi coacta & exſtimulata clyſmatis alternis diebus, aut quarto quoq; die impoſitis, ducitur excrementis admodum duris & ſiccis, ſæpe globuloſis paruis, quæ veteribus dicuntur *διαχωρήματα σπυραθώδη*. Talis autem euaſit alu⁹ poſt diuturnum illum morbum, quo illam anno .... correptam fuiſſe, pauloante retuli: Poſt alterum vero acutiſſimum & maxime bilioſum (ſic liceat Medico loqui) morbum, integrum ferme annum ſponte eadem aluus fluxit; ita vt rariſſime enematum ope ac ſtimulo indiguerit, ſuperflua vltro deiiciens: Mox ſenſim iterum adſtringi & cohiberi viſa eſt. Verum tantæ & tam grandi fœcum ariditati (quaſi iam tunc cacochymia conſpirante cum plenitudine; vel hac in illam tranſmutata) aliud, quod maxime miremur, acceſſit infortunium, ingēs nimirum pituitæ copia, ignauæ aluo prægrauis, vna cum fœcibus, iiſque præduris copioſiſſime fere continenter ſic enematum vi excreta; quandoq; ſola nec vllis permixta fœcibus alias apparens; ita vt, impoſitis clyſteribus, nullæ interdum fœces educantur, ea ipſa pituita ſola exeunte: nonnunquam etiam poſt pituitæ fœcibus permixtæ excretionem, protinus ipſamet pituita ſola denuo eiicitur, & copia non ſpernenda. Porro autem huiuſmodi pituita, contumaciam ægritudini ingerens, modo albicans apparet, & parte altera modice craſſa & viſcida inſtar iuris concreti: Alias vero vitro fuſo haud diſſimilis lentore eadem conſpicitur, ſed quæ inter excernendum nullū inuehat frigoris ſenſum, qualem à pituita vitrea excitari ſole-

re,ſcribit Galenus; quinimo viceuerſa non raro inſignem calorem prę ſe fert: Nonnunquam etiam viſcidior & craſſior apparet, in tantum, vt ſummam adepta concretionem, lumbricorum fœcibus hęrentium ſpeciem referat. Tertium atque illud quidem grauiſſimũ, Mulierique ipſi permoleſtum ſymptoma, & cuius potiſſimum cauſſam agnoſcere Hæc eadem exoptat, ſimulque opportuna remedia requirit, eſt dolor in media ventriculi regione perceptus, perpetuo cruciatu Eandem mirifice torquens, à quo cœpit toto ab hinc triennio acriter vexari, ſtatim atq; euaſit ab acutiſſimo illo, cuius paulo altius memini, morbo; vnde non ſolutio, ſed tranſmutatio veluti morbi facta. Quin dolor hic eadem die exacerbatus eſt antehac, citra vllum tamen ordinem, aut ſtatam periodum: Ex quo inſuper haud vnquam obſeruari potuit, an ieiuno, aut potius repleto ventriculo cruciatus doloris augerentur; an à calidis magis, quam à frigidis iuuaretur morbus; etiam gradu medicamentorum variato, vel ſimilibus alternatim adhibitis, mirum! ſi quod enim horum aliquoties contuliſſe viſum eſt, paulopoſt obfuiſſe cernebatur, Et quod maius eſt, ab illius contrario opem aliquam alias malum ſenſiſſe (licet inconſtanti fructu) obſeruatum: Quod Claudii Marcelli inualetudini, etſi cauſſa forſan diſſimili, pariter contigiſſe, & contumaciam morbi teſtatur, narrat Dion. Non fuit tamen eadem perpetuo doloris ſedes, cum enim inter initia morbi, primiſque temporibus aliquanto ſublimior eſſet, atq; mucronatam vocatam cartilaginem, reliquaſque illi adiacentes partes & cartilagines dolor hic pertinax occupaſſet, procedente tempore, inconſtans ſede, diuagatus ac quaſi peregrinans ad mediam exacte ventriculi regionem, quæ inter cartil ginem xyphoydem & vmbilicum interiacet, deſcendit; ita tamen, vt ad dextram partem declinarit: ſed & illa quoque diuerſitas acceſſit, cum & pertinacis ſolutique morbi mos, quod cum antea continenter affligeret, remiſſionibus quibuſdam, nunquam ceſſans; mox, ægritudine hac poſtrema vigente & premente, licet idem dolor intenſior & vehementior factus ſit, aliquãdo tamen veluti pactus inducias abſcedit, & intermittit penitus; Quemadmodum etiam ſæpius eructatione, flatu ſuperne erumpente aliquantulum imminuitur. Etiamnum poſt hunc vltimum decubitum, nocte magis, quam interdiu, idque vigente febre, dolor

lor afflixit. Quin & illud inſuper habuit peculiare huiuſmodi dolor,quod dum exacerbatur,ad dorſi thoraciſque vertebras ſibi ipſi conterminas prolatatur &extenditur,quibus paulo valentius compreſſis,aliquantulum mitior redditur. Exacerbationis tempore facies vniuerſa conturbatur,ſolitum nitorem, & colorem exuens, in palloremque albeſcit maxime iuxta labra, quæ vere cineracea fiunt,& inſtar linquentis animo. Interim vero Fœmina ad modum anxiorum, illorum ſcilicet,qui δυσφορίᾳ tenentur, omnis figuræ & loci pertæſa moræ impatiens loco ſtare neſcit: nam ſiue ſedeat, ſiue decumbat, priorem ſitum ſæpe ac ſæpius cogitur mutare quietiſq; impotentia quietem refugit, nec vllo ſymptomate perinde conturbatur, quam hoc diſcrimine, quo ſubacta, ad punctum temporis, quæſitos faſtidit,& ſpernit nouos iacendi habitus: Decumbit autem facilius in dextrum,quam in ſiniſtrum latus,melius tamen fert ſupinum decubitum; atque hoc magis erectum. Sed cum variis incommodis, plurifariamque malum exacerbetur; fluente tamen, aut mox fluxuro ſanguine, exerens ſuam ſæuitiem, atrocius euadit, vti etiam mox ceſſante fluxu,deferueſcit & palam mitigatur. Quibus omnibus deniq; accedit, quod pluribus ab hinc diebus non eam tantum,quam diximus, inuadit & occupat dolor ſedem; atqui etiam in dextro hypochondrio,quaſi in partes diductus, percipitur ſub notharum coſtarum cartilaginibus,à quibus vſque ad vocatum κενεῶνα deſcendit, hac ſorte, vt quandoque ſimul in vtraque ſede perſentiatur,nonnunquam vero ἑκάτερον,id eſt,*alterutram* occupet ſeorſim. Succedit quarto loco Tumor mediam dextramq; ventriculi obſidens ſedem : Nam quemadmodum ex bellis bella feruntur; ſic è morbis morbi oriuntur: Hic autem tumor idea obſcurus tantam ab initio præ ſe ferebat duritiem,vt primum quidem incipientis ſcirrhi,mox vero,prouecta & adaucta palam febre, inſimulque vna accedente ſiti valida, inflammationis ſuſpicionem præbuerit: Dein vero ſenſim imminuta duritie pro duro renitens tantum eſt factus, renixu tamen ipſo vario & inconſtanti apparente; ſiquidem renixus modo maior eſt, & in amplius ſpatium extenſus,modo minor,atque in anguſtam molem redactus;interim vero nullus penitus; ac talis ſane, obiectis oſtentui attrectatiſque nupere, diligentia inſigni,hypochondriis, apparuit; tumoris enim loco

compreſſo,nec quidem deprehenſa duritas, aut renixus reſtitit; ipſa tamen compreſſio fuit aliquantiſper doloroſa; ſed euanido tumore. Quintus, atque ille quidem valde præcipuus affectus eſt febris,quæ etſi poſtrema omnium obtigerit Mulieri;attamen niſi deleatur, aut certe mitior reddatur, reliquæ valetudini difficulter incumbere poterimus: Febris vero eſt continua, quæq; in præſens ſingulis vt plurimum diebus non ſemel tantum,verum etiam quandoque iterato exacerbatur; nunc quidem cum leui extremorum refrigeratione, tum & manifeſta pulſus contractione; quandoque vero abſque horum alterutro vel vtroque; alias cum vigili quadam cataphora: Nocte vero aduentante potiſſimum inuadit, paulatimque augetur cum faſtidioſo æſtu,ſitique iuxta notabili, maiore vrgente acceſſione,reliquo tempore minore, nunquam tamen merito vel immerito ceſſante; cuius comes linguæ ariditas citra vllam tamen aſperitatem. Cœpit autem febris,immodica caloris ſpecie,more,motu ambigua,ante ſex menſes,poſt inſignem & diuturnum illum ſanguinis è ſede fluorem, quem diximus ſuperiori æſtate copioſiſſimum fuiſſe. Ac primum quidem adhuc cruda & fomitis nondum valida ſemel tantum inuadebat, & mox aliquot intercedentibus diebus repens reuertebatur: Poſtea vero cum per multos dies antea perſeueraſſet, paucis aliquot diebus intermittebat; donec continua reddita: Exacerbationes tamen habuit inconſtantes,atq; inordinatas, quippe quæ nec tertianarium,aut quartanarium,aut quotidianum,aut complicatum,implexumve quem alium typum diſtincte & liquido præ ſe ferent: etiam terminos diætæ, & conceſſa ſimilibus ægrotantibus Muliere haud egrediente. Tandē vero hæc ipſa febris in eam,quam ab initio dixi,& ante iterum tetigi,ideam degenerauit. Huius conſtitutio nulla certa & rata aſſignari identidem poteſt; etenim cum morbus per multos dies viguiſſe videatur; paulopoſt à notabili declinatione excipi cernitur,nunc quidem longiore, nunc autem breuiore: Mox iterum reaccenditur & inualeſcit,alias nulla occaſione præcedente, quandoque autem vel aceruato quidem, nondum tamen excreto ſanguine, nonnunquam tandem eodemmet exeunte,vel iamiam fluxuro: Nec vtile quidquam,aut pepaſmum præ ſe ferens vnquam in pulſu vel vrina deprehenſum. Hiſce præcipuis laboribus nonnulla alia diſcrimina

mina ſecundaria ac vicem vere ſymptomatum ſubeuntia aſſociantur, valetudinem aduerſam magis etiam intendentia. Primum & tactui obiectum videtur eſſe æſtus ille faſtidioſus totum quidē corpus occupans, intenſior tamen circa dextrum hypochondrium, pedes, manuſq; ; præcipue nocturno tempore. Secundum ſymptoma eſt ſitis ingens & permoleſta, auctus ſuos & ipſa habens: Prætereа emaciatio, atque vniuerſi corporis extenuatio citra vllam tamen cutis ariditatem, aut duritiem; in tantum, quod naturalis adhuc tā pulſuū, quam vniuerſæ cutis mollicies manet. Adeſt inſuper, quod ſequi ſolet, inſignis pallor aliquando in tota facie conſpicuus, ſępius tamen ab efflореſcente rubore, familiari, an refluo occultatus. Abdomen ipſum aliquando intumeſcit, profluente potiſſimum ſanguine; alias nullum præ ſe fert tumorem, citra tenſiones tamen vix illud reperies. Quin, vrgente febre, crebro cardiacam incidit Fœmina affectionem, ac iuxta lipothymiam venit, cui affectui lacrymæ, ac plorandi deſiderium iunguntur. Vigiliæ vero, quas Mulieri connaturales diximus, adeo importunæ ſunt factæ, vt iam diu totas noctes ſæpe ac ſæpius inſomnes ducat, taleſq; illæ euaſere non modo ob adauctam febrem; ſed etiam doloris narrati vrgentia, auctus & exacerbationes febris non raro inſequente: Id enim ſæpe euenire ſolet, vt quæ corporis mala temporaria fuere, vi & perſeuerantia cauſſarum primum diuturna fiant, demum perpetua. His omnibus denique accedit leuis quædam cachexia ſubtumida facie, pedibuſque nonnunquam intumeſcentibus, cum manifeſto eorundem caloris ſenſu, ac leui rubore, indicata. Hæmorrhoides etiam tumore ſunt conſpicuæ, doloroſæ, ac liberum exitum fœcibus occludunt. Vrinæ Huic antehac variæ fuere; modo albicantes ac tenuiores, modo craſſiores & ruffę: Sedimen vero vt plurimū eſt craſſum & albicans, alias tamen exuſtum; ita vt liquore abiecto arenulę quamplurimæ matulæ adhæreant. Nunc tamen vrinæ magis, quam antea laudabiles conſpiciuntur, ſiue colorem, ſiue contenta & ſubſtantiam ſpectemus. Pulſus etſi validus non ſit, nihilominus non multum ab eo ſtatu recedit, in quo reperiebatur ante decubitum, non nego tamen, quin vrgentia vigiliarum, & ob auctum febris aliquando per diem paulo imbecillior appareat; vtique prænarratis ſymptomatibus vrgentibus. Vires autem animales (ſic liceat cum

Medicis loqui (inſigniter labant, & nutant; ſi enim è cubili deſcendat, conſurgat, vel ſedeat, parum abeſt, quin animo linquat. Naturalis pariter facultas languet, in parte, & ipſa; ſiquidem appetentia antea non admodum labefactata, nunc deiecta videtur: Præterea facultates coctrices præcipue χυλώσεως καὶ αἱματώσεως iacent etiam afflictæ: hinc flatuum & cruditatum obuia generatio. Fœces tamen vt plurimum compactæ atque aridæ quandam ciborum indicant coctionem: Vnde hac in re priuata ſpe ac metu iuxta grauati ſumus. Atque hæc ſit tam naturalis, quam eius, qui eſt præter naturam, ſtatus Historia.

PARS TERTIA

THERAPEVTICA.

Remediorum Recenſionem & vſum ſpectans.

NVNC pauca quædam victus rationem & remedia ipſa medica & chirurgica ſpectantia ſubiicienda ſunt: Eroque hic breuis ac potiora tantum attingam & vel recens adhibita. Victus itaque, cui grande momentum in comparanda, ſeruanda, & augenda valetudine, ſex ab hinc menſibus, vt ipſe obſeruaui, ſatis opportune adhibitus huic mulieri fuit, ſiue illius quantitatem, ſiue qualitatem, ſiue tandem vtendi modum adſpiciamus: Quantitate enim intenſiua (ſic loquuntur Medici) exſtitit ipſe victus μετρίως mediocris, σύμμετρον hunc Gal. nuncupat; talis enim debetur morbis longis. Qualitate contrarius morbo: Et quia morbus varius: ideo ciborum incertæ & mixtæ pariter fuere qualitates tum primæ, tum reliquæ, medicationi aptæ: Modus reſpectum habuit ad morbi tempora tum vniuerſalia, quamuis obſcura, tum maxime particu-

laria

laria, cæteris ſemper coindicantibus minime ſpretis: Quin extenſiuæ tum & diſcretæ victus quantitatis (hæc vices ſumendi cibum, illa copiam alimentalis materiæ reſpicit) ratio quoque habita, animaduerſo vna æſtimatoque virium tenore. Medicamentis vero hactenus vſa eſt pauciſſimis hæc eadem fœmina, & quod anni tempus importunum illa tuto non ſatis admitteret; (nam hyems hucuſque occupauit) & quod ſingula propemodum obeſſe potius, quam prodeſſe obſeruatum fuerit. Accedit, quod quibus Illa non ſatis cõfidit, directioni inobſequens, etiam ſi Medicis opportuna videantur, eadem procraſtinando reiicit, atque ita in poſterum differt, donec facta aliqua inſigni circa morbũ mutatione, non amplius idonea rei & accommoda illa eadem iudicantur. Adeo enim circa maiorum remediorum vſum eſt perterrefacta, vt illa non niſi cum magna cunctatione ac trepidatione admittat; nec iniuria: Vix enim vnquam aliquo vſa eſt remedio, quod vel non illico obfuerit, aut certe maximam moleſtiam non exhibuerit; Quinimo ſi præſentaneam aliquam vtilitatem attuliſſe quandoque hoc vel illud remedium viſum eſt; paulopoſt tamen totum illud vtile in diſcrimẽ vertebatur. Quo factum, vt cuncta non tantum in leui, ſed & ſuſpecta habeat: ac recens malum adſcribat ſemper præſumpto præuſurpatoque medicamentorum. Nam vt priuatim rem magis etiam aperiamus, & per ſingula te ducam, Clyſmata ipſa, quib⁹ iamdudum vti cogimur, hæmorrhoidum dolorem accerſunt, quandoq; etiam ſanguinis fluorem: præterea inferiora inteſtina mirifice labefactant; & nedum fatigant vniuerſum corpus: ſed huic ipſi nutrimentum adeo ſubtrahunt, vt ſæpenumero veriti ſimus, nunquid inſignis illa, quæ excernitur pituitæ copia, tota ſit excrementitia, an potius vtilis alimenti portio. Si vero mollientibus frequentius vtamur, relaxationis ſuſpicio & diſcrimen nos percellit, & remoratur: ſin autem paulo acriora, & ventrem exſtimulantia ad vſum trahantur, hæc ipſa, vt virium immodica, timentur, & ſuſpectantur; ſiquidem Diacatholici adiecta ſemuncia clyſteri graues aliquando lipothymias, & ſyncopes peperit. Subducentia vero medicamenta, ſi fuerint reſoluentia, mollientia, ventriculum labefactant, tonumq; huius frangunt, ac inſuper parum, aut nihil educunt: Valentiora vero, in quo genere connumero catapotia aggregatiua nuncupata, mor-

tis periculum & grauiſſimas identidem ſyncopas quandoq; ac liberius etiam prioribus attulere. Quæ autem inter hæc media ſunt, feliciter quidem ſubducunt, morbum tamen non eleuant; quin ſæpiſſime exacerbant, & ducunt: Quibus etiam ſi per longiora interualla vtamur, non eam, quam morbus & præſens cacochymia expoſcunt, molimur euacuationem; ſi vero eadem frequentius vſurpemus; ſemper quidem copioſa ſuccedit euacuatio; vires tamen franguntur, labefactantur, febris intenditur, ac cætera quoq; mala aſperantur. Propotiſmatis aliquando vtitur, ſed abſq; euidenti vtilitate; etiam in aliquibus illi ipſis mutatis ſeu potius aptatis; hæcq; inſuper tanquam nimis calefactoria, vel refrigerantia ambigit & declinat. Sorbitiones quaſcunq; quantum poteſt recuſat; ventriculi tonum ab illis labefactari experta. Topicis remediis, qualia ſunt vnguina, & fotus, parum confidens rariſſime vtitur. Cerata non admittit, refugit, & aſpernatur, vt quæ cutim vlcerent. Quod totum apud imperitos, libenter culpantes Medicos, ignoratio ęgrotationis & morbi vocatur; cum ſit pars tum cōtumaciæ eiuſdem morbi, tum antipathiæ medicamentorum pene omnium & corporis languentis. Radicis Chinæ decocto aliquandiu Mulier feliciter eſt vſa; nam & obeſior, & toto corpore firmior euaſit: Non multo tamen interiecto tempore cum copioſiſſimus ſanguis ab ſede effluxerit, timuit eadem hæc ægra, ne propter notabilem, qua pollet China tenuandi, fundendiq; facultatem, merito cuius ſudores potentiſſime prolicit, fluor ille accitus ſit. Saſſafraſſi atq; ſandalorum rubeorum decoctum ex iure aliquot diebus hauſtum maxime contulit, idem tamen paulopoſt Ipſa reiecit, caliditatem medicamenti verita. Puluere Ducis nuncupato integrum menſem paulo frequentius eſt vſa, quod ructus quoſdam excitando dolorem quadantenus mitiorē redderet. Poſtea tamen ab eodem ſimiliter abſtinuit, tum quod nō amplius opem vllam afferebat, ſpeciem, non vim medicamenti retinens, ac æmulatus; tum quoniam, cum nulla antea ſiti Ægra detineretur, mox ab huius vſu ingens, quam diximus, ſitis ſuborta eſt; etiam ſi ante ſitis auctum, febres multo maiores eſſet experta. Ad ſedandam ſeu potius molliendam hanc ſitim mali punici acinis, & aqua, cui ſaccharum, & cinnamomi momentum eſſent incocta; atq; ſtillatitio inſuper melliſophy lli liquore ſæpius vſa eſt; præſensq; aliquod

quod tum ſitis,tum doloris prænarrati ſolatium eſt experta; nec vẽtriculus eo tempore labefactabatur, poſtea tamen ab eiſdem abſtinuit,ventriculo imbecilliore & eneruiore reddito. Quod vero ad chirurgica pertinet remedia, quamquã ob fluoris aut præſentis aut imminentis periculum venã rariſſime ſecamus; hanc ipſam tamen ſectionem aliquando palam audemus, cum ſcilicet ſanguinis aceruata copia,nullumq; id temporis exitum nacta,febres maiores,oris & oculorum phlogoſes,puſtulas totum corpus obſidentes,atq; hæmorrhoidum dolorem tumoremq; concitat. Cauterium vero in ſiniſtro brachio excitatum diutiſſime geſtauit,quo non amplius ſanguinem aut ichores effundente, & paulatim à priori ſede dimoto, vlcus ipſum ſanari & conſolidari permiſit; atq; interim,poſtremo hoc ſuperueniente morbo,eiuſdem,aut alterius excitandi nulla vnquam ſe obtulit occaſio vel neceſſitas. Inter omnia autem adhibita remedia vnum ſtillicidium ex oleo,cui maſtiche,abſinthium,roſę, mentha,& macis vna cum vino & aqua florum citri eſſent incocta, vtiliſſimum eſt experta; atq; illo quidem primum eſt vſa poſt acutiſſimum,quem retuli,morbũ; ex quo illud inſuper contigit,quod cum antea aluum haberet vehementiſſime adſtrictam,nec niſi per impoſita enemata excernentem , poſtea tamen integrum annum fluida euaſit; adeo vt ſimili,languidis aſpero, medicamento raro egeret. Accedit inſuper,quod cum ventriculum ac reliquum abdominis ſtillicidio ſubiicit Mulier protinus inſigni quadam fruitur voluptate,nec vnquam ex tali remedio moleſtiam vel minimam,aut incommodum percepit.

* * *

DE ALEXITERIIS ET ALEXIPHARMACIS Commentariolus

VNIVERSE PRÆCIPVA ET capita rei continens.

AVCTORE HIERONYMO PERLINO
Medico Foroliuienſi.

D.O.M.

D. O. M.

MICHAELI ANGELO TONTO CARDINALI, VIRO VT DIGNITATE, SIC OMNI VIRTVTVM GENERE CLARISSIMO, ET PATRONO MERITISSIMO HIERONYMVS PERLINVS EXIGVVM GRATI ANIMI MONVMENTVM

D. D. D.

DE ALEXITERIIS ET ALEXIPHARMACIS

Commentariolus.

EA eſt mundi perfectio & conſummata abſolutio, tum & naturæ prouidentia; vt in hac rerum innumerabilium ſublunarium multitudine nihil detur fere ſine pari, & contrario: Quapropter ſicuti complura venena dantur, & cernuntur decoris finibus ab eadem natura procreata, licet caſu, vel hominum fraude in exitium ſalutis, & vitæ noſtræ verſa & tranſeuntia; ita pariter Alexiteria, & Alexipharmaca adinueniuntur, quæ non modo arcent, & propulſant, ſed etiam ſuperant, & extinguunt veluti contrarietate quadam admirabili eadem ipſa venena. Id iuſtum, paſſimque in ſuccis non ſolum, atqui etiam in vaporibus, parte terreſtri, & ſimilibus homini admotis deprehenſum pluries tetigit, & obſeruauit Hippocrates, præcipue autem *6. Epid. 6. tex. 5. & lib. de Alim.* dicens, dari res δυνάμεσι. i. *facultatibus* in læſionem & vtilitatem: videlicet quæ nocent, vel ex aduerſo proſunt. Verum, prætermiſſis nocentibus ſeu venenis, ego impræſentiarum agere decreui de iuuantibus ſiue alexiteriis, & alexipharmacis; vniuerſe tamen capita rei, & præcipua duntaxat veluti carptim perſcribens: nam quæ ſpectant ſingularia, priuataſque alexiteriorum, & alexipharmacorum materias, nec ſcientiæ vere ſubiecta ſunt, & à prioribus ſatis perfecte (quatenus vſu, & experientia cognitum) definita, & explicata habentur.

—ἐχθρὸν

----- *ἐχθρὸν δὲ μοι ἐστὶν*
Αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν
----- *Odi ego porro*
Recte dicta aliis iterum ſermone amplecti,
ait Homerus.

Erunt autem, quæ nobis videnda & enucleanda ſunt, præcipue quinque. Primum quæ,& quid ſint hæc, de quibus agendum; alexiteria nimirum,& alexipharmaca. Secundum, quomodo hæc eadem agant in corpus humanum. Tertium, quod horum exiſtant prima & ſuprema genera. Quartum, quæ methodus ſit iiſdem vtendi. Quintum & poſtremũ, an frequẽs eſſe debeat eorundẽ vſus. *Commentarioli capita.*

Sed cum nominis ſignificatio, ac rei ipſius tractandæ communis,palam nota,& accepta definitio principium iuſtum, & accommodatum ſint omnis notitiæ ſtudio acquirendæ: ea propter neceſſum erit nobis acturis de alexiteriis, & alexipharmacis ante cætera breuiter & dilucide videre, & ſtatuere, quæ & quid ſint hæc talia. Hoc enim explicato & determinato,minime arduum dein erit,reliqua in ſumma Scripti noſtri indicata & promiſſa adinuenire,& adinuenta plene dilucidare.Rem facere itaq; ingrediamur:

Sciendum igitur, venena priſcos Medicorum in duo ſegmenta eſſe partitos: Beſtias, quæ virus eiaculantur,& morſu, puncturaue, vulnere inflicto,virulentiam ſuã transfundunt, ἰοβόλους dixerunt, iis aduerſantia ἀλεξητήρια,quæ nedũ arcent,& defenſant, vt vox Græca ſignificare videtur, ſed propulſant etiam & amoliuntur ipſum venenum.Pharmaca venenata δηλητήρια nuncuparunt,quibus obiecerunt ἀλεξιφάρμακα, quaſi dicas *aduerſus pharmaca* ſeu *antipharmaca*: Hæc tamen nomina ſæpe inſimul penes auctores confunduntur,ac vnum pro altero, vel alterum pro duobus ſumi conſueuit. Latini à Græcis mutuati eaſdem vſurparunt nomenclaturas , niſi quod toxici vocabulum ab iiſdem depromptum in latinam prope tranſierit coloniam:quemadmodum & pharmacum in ſiniſtrã partem iis paſſim accipitur. Refrænantia vero medicamẽta promiſcue antidotos, & amuleta cognominarunt; ſunt,qui dicant momentaria, ſubita, præſentanea, ſeu præſentaria remedia,vel deleteriorum auxilia; Barbari nũcupãt vno nomine,& indiſcriminatim bezoartica,ſeu bezanartica,vel bedazarica: ſcio Gal.*lib.de Antid.*nomẽ anti- *Venena quotuplicia ſecundum priſcos.*

doti extendiſſe etiam vſque ad medicamenta intus quidem aſſumpta, ſeu aſſumenda; ſed quæ excitis mala victus ratione morbis etiã auxiliantur: ſicuti pariter non deſunt, qui nomen amuleti magis coarctant, quaſi denotet ſeorſum, quod appenditur, vel alligatur arcendo & propulſando veneficio. Ceterum quicquid ſit de nomine, veniendum eſt, vt petamus vlteriora, ad rei ipſius tractandæ definitionem: Deleteriorum itaque auxilium, quod veteres dixere alio *Deleteriorũ medicamentum.* nomine κακȣ̃ργων ἴαμα, id eſt, medicamentum, modo ſimplex, modo compoſitum, & arte conſtans, quod cum ſimile, congruenſque ſit noſtris corporibus, ſeu corporũ materiæ κράσει, iuuat ex proprietate, vique arcana: id eſt, ſtrenuiſſima: tuetur nempe pertinaciſſime ſubſtantiam noſtram, maxime corporis, ac vitæ principium nobile viſcus cor, ne à præſentibus & imminentibus quin etiam deleteriis, veriſque venenis offendatur, & ſuccumbat: atque huiuſmodi medicamentum prꝗ̨ſtat id qualitate ſibi ſimili vniuerſum corpus immutante. Enimuero qua ratione etiam minima particula humoris lethalium venenorum, quæ δηλητήρια appellant, vbi in animalis corpus ingreſſa fuerit, totum id momento temporis immutat, ſibiq; ſimili affectione alterat; pari ratione fit curatio, quæ ſecundum ve- *Alexipharmaca.* nenorum remedia, & antidota adhibetur, alexipharmaca vocata, quæ tam admota, quam exhibita contraria lethalibus alteratione totum etiam ipſa corpus immutant, maxime coadiuuante corporis vna confluxione, & conſpiratione: non ſane quod ſubſtantia ipſorum per totum penetret corpus, & cunctas ſingillatim peruadat partes (neq; enim poteſt tam pauca materia tã breui tempore corporis interdum maximam molem replere) ſed qualitatis diffuſione, dila- *Alexipharmaca quomodo agant.* tatione, qualis & extra nos a ſolis fulgore in ambientem aerem, & in nobis tum à corde in arterias, tum à cerebro in neruos fieri conſpicitur. Dixi præſentaneum medicamentum ſuum opus moliri, munus obire qualitate efficaci, & arcana influente, & ſeſe diffundente per vniuerſum corpus, aut corporis præcipuas partes; quoniam etſi alexiteria, & alexipharmaca dicantur etiam illa medicamenta, quæ iuuant, venenaque ipſa vincunt, famulante aliqua nuda & aperta inſigni qualitate, videlicet frigiditate, vel caliditate, & οὐκ αὐτόματα, id eſt, *non ſpontanea* ſolent dici talia ab Hippocrate, tum & ea pariter, quæ corpori forinſecus admota calore, vel familiaritate & ſimilitu-

dine

dine materiæ attrahunt in ſe venenum; nihilominus proprie, & magis vere illa appellantur alexiteria, & alexipharmaca, *quæ alterando & immutando ſeu admota, ſeu exhibita proſunt αὐτομάτως, id eſt, ſponte, ſeu à tota ſubſtantia* (vt loquuntur) quæ ſubſtantia eſt illa efficax, & indomita vis, ſeu qualitas admirabilis, de qua pauloante loquuti ſumus; Hæc autem præcipue petit cor, nedum ratione vacui & per dilatatas arterias fuligines effundentes & expellentes attracta; verum etiam quia mixta ſpiritibus vitalibus ad cor veluti ad propriam, & tutiſſimam ſedem, licet ſæpe læſam, ſeſe recipit: Forſan etiam ſimilitudo viciſſim exiſtens inter huiuſmodi medicamenta, & cor cauſſa pariter eſt huius motus, & attractionis; cor petit igitur, & ei primario occurrit.

Alexipharmaca vera quæ

Sed dubium non contemnendum hoc in loco ſeſe offert, *num huiuſmodi arcana, & præcipua validarum qualitatum vis, quæ, cor petens, vincit ac debellat venenum, agat immediate in idemmet venenum, an potius in corpus humanum, ſeu corporis materiam non tam affectam, quam non affectam integre veneno*; nam id ſcire non leuis eſt momenti, vtilitatem, dico, & iucunditatem in ſe habet. Auerrhoes vir acerrimi ingenii, quem nec auctoritate, nec argumentorum ſubtilitate Medici hucuſque ſuperare ſatis potuerunt, *libr. de Theriaca proprio, & 5. Coll. 23.* manifeſtiſſimis verbis aſſerit, bezoarticum euertere & exſtirpare venenum, non quia agat in venenum; verum quoniam ſolerter agit in corpus humanum, quod fouet & roborat in tantum, vt veneno expellendo, propulſando, extinguendo ſufficere queat. Et ſic venenum à bezoartico quaſi per accidens curatur; ſiquidem bezoarticum non agit in venenum; atqui per ſimilem proprietatem (quę tamē maioris eſt actiuitatis) corpus immutat, vt huius actus ſecundus vi veneni iam deperdit⁹ ſuſcitetur, & reuocetur: ſic explico ipſe hoc Auerrhois ſcitum. Alii fuere, qui exiſtimarunt, bezoarticum (quo comprehendo alexiteria & alexipharmaca) ſuppeditare, & deiicere venenum actione efficaci edita immediate in ipſummet venenum. Deducitur quidem ad actum (vt dicitur) bezoarticum à calore animantium naturali, hoc eſt, alteratur, ſed non vincitur; atqui dum in actionem exit, dum vires ſuas explicat idem bezoarticum (iuxta horum opinionem) id facit immediate, & primario aduerſus venenum, in quod vnum incurrit impetu quodam, ac velut

An vis arcana alexiteriorum agat immediate in venenum, an vero potius in corpus humanum.

Auerrhois laus.

contrarietate, quæ tamen ſit ſecundũ κρᾶσιν, ἢ δύναμιν κατ᾽ ὅλην οὐσίαν, id eſt, *totam ſubſtantiam.* arbitrantur enim hi, ita qualitatem veneficam arcanã contrarietate vinci à ſuo bezoartico ſeu communi, ſeu priuato, vt vincitur, & edomatur qualitas aperta, & nuda identidem, ob exceſſum ſymmetriæ, venefica à ſibi pari contraria qualitate: ſic calida venena vincuntur à frigidis, frigida à calidis, immediate inuicem inter ſeſe, iuxta exceſſus, *mixtis ipſis naturalibus agentibus.* Dixi, *mixtis ipſis agentibus*, quia *actiones ſemper ſunt compoſitorum non qualitatum.* Hanc præfatam opinionem præter alios viſus eſt olfeciſſe Plinius, qui loquens *lib. 27. cap. 2.* de aconito, quorundam venenorũ alexipharmaco putato, dicebat adpoſitiſſime. *Ea eſt aconiti natura, vt hominem occidat, niſi inuenerit, quod in ſi homine perimat, cũ eo ſolo colluctatur, velut pari intus inuento: ſola hæc pugna eſt, cum venenum in viſceribus reperit: mirumque! exitialia per ſe ambo cum ſint, duo venena in homine commoriuntur, vt homo ſuperſit.* Suffragatur huic opinioni nedum ratio; ſed pariter hiſtoria tacta ab Auſonio Gallo illius zelotypi mariti, qui ſeruatus eſt bini veneni aſſumptione, noxiiſque poculis, vt ait ipſe, inter ſeſe certantibus; ſecundum enim munere antidoti functum eſt. Ratio poſtea euidens exiſtit, quod ſi actio omnis ſit merito contrarietatis, cum bezoartica nobis ſimilima exiſtant, & venenis pene contraria; iuſtum videtur, vt actio, & pugna ſit inter venenum & bezoarticum, non vero inter corpus & bezoarticum. Rationem huius diſſidii, pugnæ contrarietatis bezoartici & veneni ſunt, qui exiſtimant, eſſe ſpecificam, occultam antipathiam exiſtentem viciſſim inter hæc mixta, venena, dico, & bezoartica; quæ licet in aliquibus multoties conueniant, differunt tamen & materia proxima, & qualitatibus, id eſt, forma ſpecifica; vt propterea ob hanc contrarietatem formarum bezoartica aggrediantur potius venenum, quam ſanas corporis partes. Et id eſt, quod ex altera parte aſſerebat Auerrhoes parum ſibi hac in re conſtans (vt plenius in loco & tempore explicabo) nimirum bezoarticum in fine contrarietatis eſſe cum veneno; quia medicatio contrarietatis ſemper debet attribui contrarietati.

Opinio auctoris. Ego vero, vt libere dicam, vtrumque narratum puto æque præſtari à bezoartico: Nam cum bezoarticum, quod mixtum eſt nõ ſimplex corpus, cõſtet duplici ſępe natura haud ſatis pari: Altera

nobis

nobis ſimili, altera vero diuerſa: priori amica & familiari, quæ non vincitur, ſed in ſuo robore manet, immediate agit in ſubſtantiam noſtram ſiue tactam, ſiue non tactam veneno, conſeruatque ſanitatem, vt ſic dicam, & virtutem in ſpiritu, vt veneni noxam a ſe expellat, & propulſet. Parte altera vero toto conatu inſurgit id ipſum bezoarticum, licet *impulſu* alieno; *naturæ* nimirum, aduerſus potentiſſimum hoſtem iam vi eiuſdem naturæ, in parte, afflictum, ac defectum, quo cum duello quaſi dimicandum, & decertandum ſibi proponit; ſicque tandem vitalitas emerſa, & bezoarticum mutua proprietate, vna mole, facili conſpiratione deturbando, præcipitandoque inimico veneno alacriter incumbunt. Dixi *impulſu naturæ*, quoniam natura eſt, quæ omnia facit, dirigit, mouet, ſeruat, niſi euerſa, aut læſa exiſtat, iuxta illud Hippocraticum, *φύσις ἐξαρκέει πάντα πᾶσιν*, id eſt, *natura iuuat omnia omnibus*. Neque quicquam valent rationes contrarium aſſerentium: Auerrhoes parum ſibi conſtat, vt innui; quandoquidem ſi bezoartica ſunt in fine contrarietatis cum veneno, vt ipſemet *eo loci* affirmare propalam videtur, vix fieri poteſt, quin vere & proprie, immediate, inquam, hæc eadem agant in venenum; nam contraria, vbi conueniunt loco & tempore, ſemper pugnant inter ſeſe: eoque magis id verificatur in caſu noſtro, quod dentur nonnulla alexiteria, vel dicas, alexipharmaca, quæ talia ſunt ſecundum quid, minus perfecte, quæque veneni naturam ſapiunt & æmulantur, & priuatim auxiliantur nobis eo tempore, alias infenſa, quo venena reperiunt in corpore, ſeu corporis viſceribus. Eſt quidem naturalis calor domator omnium morborum, & venenorum; attamen medicamenta ad actum deducta immediate antipathia quadam occulta, agunt in venenum, quo pro parte victo, natura, vt dicebam, emergit, eleuatur, ac iam effœtum, ſemiuictumque venenum, ſuperat, & expellit. Hinc patet etiam ratio, propter quam negari haud poteſt, quin bezoarticum agat æquę efficaciter in corpus humanum, atque in venenum opprimens corpus ipſum; ſiquidem cum bezoartica nedum curent ipſa venena; ſed propulſent, arceant, præſeruent inſuper; id fieri nequit abſq; qualitate nobis amica, & familiari in noſtrã ſubſtantiam agente: Et cum dicitur, actio non fit inter ſimilia, & ſi fit, eſt inconſpicua, non admirabilis, Reſpondendum ſimilia inter

Naturam omnia facere.

Quãdo ſimilia inter ſimilia agant & quando non.

ſimilia non agere, ſi actiuitatis gradus pares ſint; at cum impares exiſtunt, vnde emanat contrarietas cum ſimilitudine generis & materiæ, quod radix diſſidii, & pugnæ, fit proculdubio actio, & actio nonnunquam notabilis. Quocirca bezoartica cum maioris noſtra natura, intrinſeca hominis proprietate àctiuitatis & efficaciæ ſint, cum immodica, inquam, exiſtant viribus, vincant cum modo; ſuauiter nimirum, & vtiliter, & non vincantur, agunt iuſtis de cauſſis in noſtrum corpus: Actioque ipſa minime moleſta, minime corruptiua, minime nocens; verum idonea, perfectiua, vtilis, cuncta firmans, ac propterea conſpicua, & admirabilis cenſetur, & obſeruatur.

Bezoartica quomodo dicantur media inter corpus humanũ & venenũ.

Vlterius hoc loco duo alia ſolent in examen poni. Alterum, *quomodo bezoartica ſint & dicantur media inter corpus humanum, & venenum, atque item inter medicamentum & venenum* (ſic teſtante Galeno *3. de ſimpl. med. 18.*) Alterum quod explicandum nobis occurrit, eſt, quonam pacto hæc eadem bezoartica tuto exhiberi queant ſanis corporibus; cum ſint, vt narratum, tam grandis actiuitatis; & ſapiant, in parte, veneni naturam: Quandoquidem ſi contrariorum eadem eſt natura, neceſſum, vt bezoartica, quod contraria palam exiſtant venenis; etſi non palam, certe clam; venenatæ qualitatis eſſe participantia.

Sunt media bezoartica inter corpus humanum, & venena (vt priori dubio ſatisfaciam) non eo, quia ſint bini & diſparis effectus cauſſa principiumque, quod inepte teſtabatur Auerrhoes, alioqui hac in re varius, & libidine diſputandi aduerſus Medicos nimis affectus; ſed potius quoniam quæ proportio eſt corporis humani ad bezoarticum, eadem videtur bezoartici ad venenum. Quo monemur (vt id obiter animaduertam) vt recte antidotos adminiſtremus, quandoquidem ſi largiori doſi exhibeantur antidoti, ſeu bezoartica, maxima ſua actiuitate corpus lædere valent. Sicuti enim bezoarticum vinci & opprimi non debet à veneno; ita etiam corpus humanum à bezoartico ſuperari haud debet. Tandem medium cenſetur bezoarticum inter medicamentum, & venenum, quod erat alterum membrum prioris quæſiti, quia medicamentum iuuat, & viceuerſa venenum interficit: bezoarticum vero iuuat, ſi probe adminiſtretur; & interficit, ſi non recte, ſed maiori doſi, ſeu copia

Bezoartica quando corpus lædant.

Bezoartica quomodo ſint media inter medicamentum & venenũ.

propi-

propinetur. Hinc dictum illud Auerrhois, quo affirmatur, bezoarticum eſſe in fine contrarietatis cum veneno, vel reiiciendum, vel commoda interpretatione iuuandum. Adeſt quidem, & effectu conſpicitur contrarietas bezoartici cum veneno, eaq; inſignis exiſtit; at ſicuti vis, atque contrarietas, quæ eſt ex parte veneni, hoſtilis nobis cernitur, ſic quæ ſtat ex parte bezoartici vitalis & nobis amica *pro maiori parte* obſcuratur, & cenſetur, vt mox planius fiet.

Et niſi velimus inuulgatis, creditis, adprobatiſq; demere fidem, huiuſmodi explicata bezoartica (miſſis iis, quæ minus perfecte talia ſunt) aut ſimpliciter & promiſcue bezoartica in primis ſunt, aut quorundam priuatim; ſed quæque ſint, ſemper ſimilia noſtræ proprietati, intrinſecæque naturæ exiſtunt, ac mirifice nos iuuant, firmantque: Quæ ſint communia & promiſcua; quæ priuata, a prioribus auctoribus pete. Adhæc bezoartica cum varia ſint, quædam reperiuntur, quæ etſi noſtro corpore valentioris virtutis exiſtant, aſſumptaque intus, ſeu foris admota continenter agant; nihilominus extremæ moleſtæque actiuitatis haud ſunt. Atque iſthæc ſemper vtilia tum ſanis ſimpliciter, tum ſanis ſecundum quid, tum etiam infirmis animaduertuntur. Huius ſortis penes Auerrhoem eſt ſemen citri, apud alios citrum ipſum, bolus armena, ſmaragdum inſignis gemma; ruta item, cydonium, lapis ille bezoar vocatus, ſcordium, & paria ſub hoc genere comprehenduntur. Talis pariter, vt opinor, inter compoſita putatur mixtura illa ſalutaris ex nucibus, ficubus ſiccis, rutæ foliis, & ſale, ſeu caſtaneis mixtis. Hoc enim præſidium (vt Plinius & Plutarchus referunt) Cneus Pompeius, Mithridate victo, in eius ſanctuario reperit cum eiuſmodi inſcriptione, regia manu notata: *Et qui hoc ieiunus ſumat, nullum venenum nociturum illo die:* Cuius medicamenti mentionem etiam facit Quintus Serenus *cap. de venenis prohibendis*, Iuuenalis *in ex. ſat. 6.* Auenzoar, & Auctor, qui de herbis carmine ſcripſit *lib. 5. cap. 13.* Quamquam alii illius compoſitionem adſcribant Antiocho Regi. Par confectio vulgaris, ac notiſſima tum in Vrbe, tum alibi Vrbeuetani, quæ veneni vires comprimit citra hoſtiles ſpiritus, ſubuenitque ſibi ſociis & amicis corporis humani partibus. Hæc enim omnia, & paria ſi-

Bezoartica valentioris virtutis, nec moleſtæ actiuitatis.

ue ſimplicia, ſiue compoſita & arte parata, vt proxime dicebam, ſemper iuuant, mirumque eſt, ac totius humanæ mentis captum id exſuperat, ac veritatis vi potius, quam ratione coacti hoc fateri tenemur, proprietatem nimirum, etſi quid impar, erga ſubſtantiam amicam, affinem ſemper eſſe *προσηνῆ mitem*, lenem, & manſuetam; aduerſus hoſtes vero, in bellicis, vt ſic dicam, facinoribus *ἀκοινώνητον rigidam*, ac pari vi, conſimili exceſſu, ſeu gradu ferociſſimam: reſiſtenti enim exceſſui ipſius materiæ, vel naturæ vim facit; frænat videlicet coercetque, ſi nobis amica, omnem deleteriam vim arcana illa ſua facultate; ſic nimirum procace odii contrarietatis diſſidiique illa eadem proprietate exiſtente; vti vis ac poteſtatis propriæ contra alias, penes amicas ſcilicet partes, eſt temperantiſſima. Ea propter cum Auerrhoes raro, niſi argumentorum momentis perſtrictus, aſſentiri non ſit ſolitus, mirum haud eſſe debet, ſi id latens, occultumque miraculum ſubticuit, aut potius non intellexit, confugiens ad illam ineptiam, qua perhibet in bezoarticis vnam quidem eſſe facultatem & vim; ſed ab hac binas operationes inter ſeſe pene oppoſitas, dum ad vſum illa ipſa trahuntur, emanare Priorem vim, ſeu potius operationem venenoſam exerunt, iuxta Auerrhois ſententiam, ipſa bezoartica, ſi vſurpentur minime præexiſtente in corpore venenoſa diſpoſitione. Alteram adiutricem & amicam præ ſe ferunt hæc eadem bezoartica aſſumpta corpore iam venenoſa vi infecto. Quod forſan verum de quibuſdam venenis, non autem de veris bezoarticis, quæ venena (vt de aconito, hydrargyro, carne viperæ, & ſcorpii compertum) induunt per accidens munus antidoti, euadunt, inquam, per accidens bezoartica, dum in corpore humano hoſtiliter pugnant, & pugnando vincunt alia venena obuia. Diuerſificantur quidem actiones vnius agentis, diuerſificatis, & variatis diſpoſitionibus materiæ ſubiectæ, quod aſſerebat Auerrhoes: at in bezoartico, ſi experientiæ ſtandum, non adinuenitur facultas, & vis liquido venefica præpotens, niſi ſumatur illud idem in magna quantitate, ſitque vltro bezoarticum notabilis actiuitatis. Et erit tunc bezoarticum alterius generis; huiuſmodi enim bezoartica ſecundi huius generis, ſeu gradus ſunt

quidem

quidem *κράσει natura* nobis ipſis ſimilia; ſed ſuper id exiſtunt magnę pertinaciſque, ob exceſſum ſymmetriæ, actiuitatis: Et quamuis ſint ſimilia, ac vere idonea; attamen ſi vſurpentur, vt retuli, in magna doſi, ex idoneis, & amicis fiunt improba & hoſtilia. Huius generis cenſentur theriaca, mithridatica illa magna confectio, cæteræque pares communes, & notabiles antidotus. Cæterum ſi in pauca quantitate, congruentique menſura hæc eadem ſumantur, iuuant ſua vi, ac perfectiue agunt; naturam, dico, ſi oppreſſa, reuocant; ſi libera & ſoluta, firmant, validioremque efficiunt.

Hæ inſuper magnæ antidotus, & ſi frequenter dantur morboſis corporibus, poſſunt etiam, licet minori doſi, exhiberi ſanis. Neque horum vſu corpus humanum redditur ſimile veneno, vt obiiciebat idem Auerrhoes, dum iſthæc bezoartica veneni participantia ſtatuit, ſed potius illud bezoartico ſimile euadit, atque egregiæ, ac idoneæ proprietati humanæ robuſtiſſimum par, qua proprietate, exquiſita, inſignique vi facillime munitur cor; ſanguis, ſpiritus omnis vitalis, & quoduis circumfuſum defenditur; ac fortiſſime omne virus reſpuitur, expellitur, euacuatur, vel pari ferocitate, prout varia conditio bezoartici, opprimitur; ſuperatur, edomatur, frangitur, & ſubiugatur. Hanc idoneam proprietatem humanam quemadmodum nonnulli ſponte pro parte ſaltem ſortiti ſunt, ſic eandem frequenti antidotorum vſu adeptum olim fuiſſe Mithridatem maximum ſua ætate regum, ac prudentiſſimum, diligentiſſimumq; omnium ante ſe genitorum hiſtoriæ tradunt.

Medicamenta alexiteria, & alexipharmaca cum iuuent proprietate, ſeu ſubſtantia, citra methodum etiam certam, & ſtatam exhiberi quodammodo poſſunt: *A methodo* enim *excluduntur*, teſte Galeno *13. Meth. 6. quæ à tota ſubſtantia amica vel aduerſa ſunt.* Quod ſi qua methodus in huiuſmodi medicamentorum adminiſtratione atque vſu reperitur, illa vniuerſa conſiſtet non in adinuentione, electione, deprehenſione, & cognitione remedii; vel corporis ſubiecti notitia (indiſcriminatim enim, ſaltem communia & promiſcua conueniunt omni in morbo iuxta *κρᾶσιν*) ſed potius in

tempore,& modo exhibendi, vſurpandique idem remedium: Nam debent exhiberi bezoartica, quemadmodum docet Galenus *lib. de Ther. ad Piſonem capit. 17.* cui ſubſcribit etiam Rabby Moyſes, dum verba facit de vſu, & exhibitione ſmaragdi, cum celebrata eſt ex toto ventriculi concoctio: Sed addendum, *niſi quid obſtet, vrgeat, & contrarium perſuadeat*; vrgente enim periculo, dantur omni tempore. Cum etiam corporis repletio prohibeat ſæpe, quo minus tuto, & feſtinanter liceat venenum expellere, eapropter talis repletio auferenda; auctore etiam Galeno *3. de loc. aff. 7.* Et ſi repletio eſt æqualis, indicatur remedium euacuans; ſi inæqualis, purgatorium, ſeu electiue ducens. Exhibetur bezoarticum ventriculo ieiuno, & libero, non eo, quod vis bezoartici obtundatur, extinguatur à ciborum mole, vt nonnulli inepte exiſtimant (ſiquidem appenſa, alligata, & admota etiam pro parte, carnium ſcilicet ſolita & familiari attractione, vt dicere ſolitus eſt Hippocrates, creduntur iuuare talia medicamenta) verum *quoniam cum ventriculus eſt abſque cibo, calorque ipſius vacat, nec trahitur, nec diſtrahitur alimenti familiaritate, promptius bezoartica amplexatur, alterat, fouet, reducitque ad actum.* Quo tempore etiam ipſa eadem bezoartica impedimentum haud nacta liberius penetralia cordis, ac vitæ principium petunt,. ſeu in viſcus læſum ſubeunt, ad quod vſq; progreſſa ei vere occurrunt, ac familiaritate quadam plurimum fiduciæ, ac roboris aduerſus intolerabilem hoſtem, ac venenum clam præbent. Non contemnenda methodus etiam ſeruatur in menſura medicamenti, quæ menſura metiri debet tum ex materia, ſeu vi alexiterii, tum ex corporis patientis proprietate, vel dicas, natura priuata. Quod totum tamen velim, vt intelligas de bezoartico extrema, indomitaque vi prædito; non autem de priori miti, ac benigno, quodve ſine metu exhibetur & ſumitur. Quemadmodum etiam planum in vſu & adminiſtratione priuati bezoartici rationem quandam haberi peculiaris ideę veneni, quod ab experientia potius tamen petendum, quam à ratione; illa enim eſt, quæ nos inſtruit & dirigit, non ipſa methodus, vt præmonui.

Bezoartica cur exhibeātur ſtomacho ieiuno.

Alexiterii menſura vnde petenda.

Inſigne & prægrande momentum certe in bezoarticis reperio: & propterea ſumme Principes laudo, qui ad ſubita venenorum pericula

ticula, ad peſtium faces horum copia ſcatent, ſuiſque ægris bezoarticorum vſu manum dant: ſi modice enim, & opportune huiuſmodi præſentanea, id eſt, ſtrenuiſſima, & rapidiſſima remedia vſurpentur, ornamentum & decus non leue additur profeſſioni noſtræ; ſed prouidentia opus eſt: Nam *vbi natura etiam non commilitat; conſilijs actionibusque Medici malus exitus obuenit.* Vti etiam nimio, frequenti ac promiſcuo horum vſu vileſcit ars medica, & occaſio haud exigua vulgaribus, noua, ambigua, difficilia liberius credentibus, datur deſerendi Medicos, perſuaſis nimirum illis talium medicamentorum ab Afris, aut Indis pro maiori parte petitorum (in quorum vſu nullus fere delectus) ope valetudinem omnem comparari, ſeruari, augeri: cum tamen minime in his præcipuum medicinæ robur ſit, atque pondus. Tuq; Medice, in cuius præcipue vſum & commodum hæc paucula damus, ſi ſpectabilem, & honorificum teipſum præbere cupis, non talium ſimplici vſu contentus ſis; atqui in recondita Hippocratis, & maiorum doctrina, in tractandis methodica, & artificioſa dexteritate, atque peritia Medicis rebus ingenium, & dexteram tuam vt exerceas ſuadeo. Quis carpet? ego fulcrum hoc aut fulmentum artis Aſclepiadum, & maieſtatis Medici; tum & valetudinis corporum tutelam & præſidium ſcio. Qui enim bezoartica adamant etiam extra ſuſpicionem veneni externi, ac omni in morbo indiſcriminatim iiſdem vtuntur, leuibus, ac ineptis ingeniis adhærentes placentes; vno, fœdoque tenore ſemp incedũt ſine delectu, ſine modo: Artificiales vero Medici callidi rerũ, ac euentuũ, & ſapientes ſemitas morbi intente perſequenres non ſemper eunt vno gradu; ſed vna via: non curſum eundem tenent; ſed portum: Hinc nouos progreſſus morbi deturbantes, diſcriminibus vtuntur, arte, flexuq;, dum opus eſt, ac etiam obliqua via, quæ tamen ſemper in ſanitatem. Atque ſic opportuna inconſtantia, ſeu magis varietate non raro vetera commutant lente, & per gradus, nec omnia ſimul præſtant, & quæ iuſſerant, vetant, & quæ vetuerant, iubent. Dum tamen in ancipiti eſt valetudo, & acrior cernitur morbi pugna, vireſque animi & corporis declinare incipiunt, ac cætera medicamenta, quibus diu incaſſum pugnatum, tamquam inutilia, ſeu iniucunda faſtidit æger; ipſaque κρᾶσις

pene euerſa deprehenditur, bezoartici vſum nec contemno, nec
improbo; quod bezoartica, vt plurimum nedum proprietate natu-
ræ, *κράσεως* adiutrice, verum etiam ſpe (qua ſi non alio modo, pro-
ſunt etiam *περίαπτα*) mire iuuent: Nam *vbi ſpes, ibi præſidium*. Sic Hip-
pocrates, vt *ex hiſtoriis Epid.* patet, cum accedebat ad ſuos ægros, fe-
re etiam deploratos, imminente quandoque morte, non abſtinebat
à leuioribus remediis, licet cum prædictione: nam illud non igno-
randum, durante tractu & lentitudine mortis, ſæpe fruſtra adſumi
remedia etiam præpotentia; ſiquidem frigidis iam artubus, effœtiſ-
que viribus, clauditur pene corpus aduerſum vim omnem tum be-
zoartici, tum etiam veneni eo tempore hauſtorum, & accepto-
rum, incaſſumque contra morbum (vt antea dicebam)
pugnat Medicus viribus naturæ
haud nixus.

F I N I S.

D E

DE MORTE, CAVSSA GRAVIDITATIS ABORTVS VEL PARTVS

Medica quidem diſputatio,

SED SOCIETATIBVS OFFICIO-rum contrahendis, diiudicandiſque neceſſaria.

AVCTORE HIERONYMO PERLINO
Medico Foroliuienſi.

Cui adiunctum eſt RESCRIPTVM eadem de re ad amicum.

ILLVSTRISS. PRINCIPI

MICHAELI ANGELO TONTO

S. R. E. CARDINALI NAZARENO NVNCVPATO

HIERONYMVS PERLINVS Dedicat, conſecratq́;.

DIEBVS elapſis binas Hiſtoriolas ſeu InſtructionesMedicas publice dedimus eaſque Illuſtriſs. Card. Burgheſii inſcriptione muniuimus, & honeſtauimus, quo tanti Principis auctoritas, & ſplendor famam, & lucem illiſipſis circumdarent. Modo DISPVTATIONEM hanc nouiter auctam, & recognitam, cum annexo RESCRIPTO, edituris nobis Nulli iuſtius dedicandam, conſecrandamque viſum, quam tibi (Illuſtr. Card.) qui & amatus ab illo Principe, & in arcana eiuſdem gratia inprimis es, quod in tua laude iure etiam ponam, & adeo virtutibus, ac meritis vna fulges, & excellis, vt parem fortunam, tum & aduerſus inuidos, & maleuolos robur, ac munitionem ex clariſſimi nominis tui adpoſitione huic Opellæ augurer, ac mihi certo pollicear. Ceterum virtutes tuas, quæ, ſicut aſtra, in numero finito infinitæ cernuntur, hic percenſere, & ex-

excuti, longum, & ſuperuacaneum ſit; & eo magis, quod illæ eædem iamdiu omnibus veluti obuiæ & ſplendentes innotuerunt, ac maximo Pauli V. P. M. iudicio (quod glorioſiſſimum, & culmen laudum) adprobatæ ſunt. Is enim odore, imo (pene dixerim) guſtu, certiori ſenſu, illarum conſpicuarum allectus, ac velut pie irretitus, Te primum Archiepiſcopum Nazarenum creauit; paulopoſt talem dignitatem forſan minus parem meritis tuis intelligens, cœleſti numine afflatus vltro elegit, & in ampliſſimum cœtum, ac ſenatum Cardinalium, quo non niſi apices & decora prouinciarum adſpirant, retulit, atque mox digniſſimo Datariæ (vt dicunt) muneri præfecit. Verum miſſis etiam reliquis virtutibus tuis, in numero magno magnis, in quibuſue quamplurimos, etiam paris ordinis ſuperas & emines; quis vnquam benignitatem tuam (Religionem & pietatem in Te referre, nefas eſt: ὅτι τῶν ἀρίστων οὐκ ἔστιν ἔπαινος: *quod optimarum rerum non ſit laudatio:* potius vel felicem, & beatum, vel huic proximum ob illam ipſam Te prædicamus; & ex eadem amor, & veneratio erga Te innaſcitur.) Quis vnquam, dico, benignitatem tuam, animi vigorem, cunctarum rerum capacem, nec non prudentiam, quæ cætera regit, certe dirigit, abſque liuoris, aut ſtuporis nota diſſimulare, ac præterire ſilentio poterit? Benignitatem autem appello illud rarum in homine bonum; facilitatem nimirum & promptitudinem animi ad iuuandum, qua vincis cæteros Principes; imo hos, & inferiores quoque Tibi deuincis: ſiquidem Amplitudo tua inter tot muneris proprii graues curas, præſentes, inſtantes, quibus vix alius

ſufficere poſſet, non excipit ſolum omnes, etiam priuatos ad ſe venientes; ſed exſpectat in limine velut obuiam, cum ſuis diſcriminibus, ac modeſta grauitate, ſe dans, aut certe inuitans, ac vacuam ſe oſtentans. Beneficia (Illuſtriſsim. Cardinal.) plurima & fere aſſidua ſponte confers, ſingulis, & vniuerſis prodes; & quod ſumma virtus tribuentis, ac vera benignitas, bona verba adiicis rebus bonis, & prædicatione humana, benignaque vt commendas, quæ præſtas, ſic præſtita haud imputas. Vnde coactus eſt dicere, qui a Te diſcedit; *Magnum lucrum* (verba Senecæ) *hodie feci. malo quod illum talem inueni, quam ſi multiplicatum hoc ad me alia via perueniſſet. Huic eius animo nunquam parem referam gratiam.* Eſt tamen Tibi in beneficio ſenſus communis; tempus, locum, perſonas obſeruas; quod illi ipſi dato gratiam comitas quidem tribuentis, ſed efficaciorem aliquanto opportunitas conciliet. Vigor autem ingenii atque animi tui talis eſt, vt par ingentibus negotiis cenſeatur, vſu, ac re obſeruetur: Illo enim ipſo varia vno & eodem tempore feliciter agitare, & exſequi ſolitus es: Et cum nunquam vaces, & ſis exſomnis; poſt ſacra munia & officia, aulæ, ſtudio ſemper aut negotio intentus, quaſi otioſum (vt prædicebam, quodve prudentiam aſſerit, & manifeſtat) Te præbes; & abunde, quæ agenda ſunt, curas ſine vlla oſtentatione agendi; nihil Tibi vendicans, ſemperque infra aliorum æſtimationes Te metiens. Ad hæc cum notitiam rerum euentuumque, & iudicium in iis rectum habeas; attamen, tanquam alter Solon Athenienſis, quotidie (quod producit, ac magis adhuc expri-

exprimit prudentiam, in parte, innatam) addiſcens aliquid vis ſenex fieri; ſapientiæ modum cæteris difficillimum, nihilominus retinens: ſiquidem pauca de virtute diſſeris, multa autem factis oſtendis, & fidem verbis tuis ipſa vita concilias. Nam ex philoſophia, priſca litteratura, & legum peritia, quibus omnibus plurimum polles, non, vt cæteri, voluptatem, aut ſcientiam ſolam, quin vſum probus, & prudens quæris, & amœniora ſtudia traducis & aptas ad mores, ad ſeriumque vna animorum, ac Reipubl. fructum. Sermo tuus compoſitus eſt, grauis, temperans, qualis vultus, & animus. Nec dies rerum (vt ille ait) verbis teris: imò in cóciliis, cœtibus aut colloquiis Cardinalium, Epiſcoporum, procerum, & ſimilium (qui Religioni, ſeu Republic. hodie delegati in Vrbe præſunt) vbi Tu cótinuus es, vbique de maximis agitur rebus; errantes, & excurſibus, ſeu fortuitis ac inconſultis ſermonibus vagantes opportune Tu idem, non minus exemplo, quam verbis, dirigis, coerces, ac velut reducis. Lente item & probe conſulis, & conſulta viriliter, ac per omnia extra dilationes poſitus, exſequeris. Tale ſane eſt præceptum Ariſt. Πράττειν μὲν δεῖ ταχὺ τὰ βουλευθέντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως. i. *celeriter deliberata peragenda ſunt, deliberandum autem tarde.* Vt iure (Illuſtriſſim. Cardinal.) ob has eminentes virtutes tuas publica vox ſit, & confeſſio, talem debere eſſe, qui res & conſilia principis, ac Reipub. tractet, cuiue ſecreta præcipue innitantur. ſunt qui culpant in te famæ cupidinem: at leuis, nec indecora culpa: quandoquidem, & in magnis viris

----- tu ſola animum, mentemque peruris
Gloria.

Ac boni ei ſæpe indulgent, & ſapientibus nouiſſima exuitur: Quod patet exemplo Magni Pompeii, *quo viro*, narrante Velleio, *nemo alia omnia minus, aut gloriam magis concupiuit*: Similis fuit & C. Marius, auctore Saluſtio, *Libidinis & diuitiarum victor, tantummodo gloriæ auidus.* Par & Heluidius Priſcus apud amicum Tacitum, *Opum contemptor, recti pertinax, conſtans aduerſus metus; ſolius famæ appetentior*: Et Cicero maximæ doctrinæ, & auctoritatis vir *in epiſtola quadam ad l. Luceium hiſtoricum* palam faſſus eſt, ſeſe ardere cupiditate incredibili, nomen ſuum ab eo illuſtrari, & in clariſſimis rebus ſuis aliquod teſtimonium vocis eius habere: Pari conſilio Plinius Taciti Hiſtoriarum libris inſeri ambitioſe nec importune cupiuit: augurabatur enim, nec eum fefellit augurium, illas immortales futuras: Eodem iuere cæteri quique inſignes viri: nec forſan culpandi; quod trahat principem & altos animos *fax mentis honeſtæ gloria*, ait Poeta: aptiſſime ad mentem noſtram Polybius. (dimittam Græca, ne Te detineam) *Argentum quidem & pecunia eſt communis omnium hominum poſſeſſio; at honeſtum, & ex eo laus & gloria Deorum eſt, aut eorum, qui à Diis proximi cenſentur.* Dictum egregium. alia aliis communia, & adipiſcenda: at bona & magna fama magnis conuenit, & quos Deus vicem ſuam fungi voluit in terris. Tu poſt Pontificem inter præcipuos eius ordinis cenſeris. Imo & ipſe, qui vermis ſum & è plebe litteratorum vnus, gloriam tuam (Illuſtriſs. Card.) prætexo; non modo vt eam poſteritati tradam ſpectandam,

dam,& veluti nouum exemplum,quo legenti animus ad honeſtum accendatur; ſed etiam, vt ab illa eadem ſtilo expreſſa & patente Scriptio mea(quemadmodum innui) famam mutuetur atque vitam. Cui enim erudito illud eiuſdem Taciti non notum: *contemptu famæ,contemni virtutes; & harum amori aut æſtimationi adhærere immortalitatem?* Abi igitur Imperitia aut Liuor, tu, vt rem non capere, ſic nec carpere quemquam,minus huius alti, & expoſiti viri magnam,& ſacram mentem potes. Et tu ô Virtus ſummorum virorum propria, virtutis,inquam, propriæ moderata oblectatio, & incitamentum, ac alienæ fautio & calor, ſeu famæ,& immortalitatis ſtudium, contra,ſiſte, noli diſcedere, & pectori, meritiſque Illuſtriſ. Card. per me adhære; imo, vt facis, præcurre, & ſplendorem illum tuum affunde; tandemque, quo virtutis via graſſaris, Hunc nomine & gloria æternum redde. Nec immerito hodie Illuſtriſ. D. (vt nonnulla alia ad hanc gloriam tuam ſpectantia, & dictis annexa breuiter enarrem, & perſtringam) patria noſtra, Æmilia ſcilicet, geſtit, exultat & intumeſcit ob Te, talem tantumque ciuem, virum; quid dico virum: imo Principem, vt indigetaui, vel, cum tuis paribus, Regi æquiparandum. Ac fauſtum hunc & lætitiam publicam illa eadem pia patria teſtata eſt apud Pontificem, etiam legatione priuata, inſimul Sanct. Suæ gratias immortales agens de hac dignitate Cardinalitia poſt tot annos prouinciæ reſtituta, promotione tui, amati ciuis,& digniſſimi, piiſſimique Antiſtitis, qui in eadem prouincia Cæſenæ ſacris rector & director præſides. Præter hæc Tu quoque (Illuſtriſ. Cardinal.) ſcis cætera ci-

uitatum,& oppidorum pene omnium prouinciæ officia Amplitudini tuæ per eumdem ad Pontificem miſſum legatum, Ioannem Gaddium Foroliuienſem, equitem egregium, tributa: Excepiſti humillimas ſalutationes, intellexiſti contingendi, ſeu potius deoſculandi Tibi manum cunctorum cupidinem, necnon cultum, venerationemque deferendi commune votum, & aſſertionem. Quę ciuitatum,& oppidorum gens ac populus in illa alacritate, & noua ob excelſam hanc, quam benignitate ſũmi Pontificis,& bonis tuis artibus adeptus es, dignitatem effuſa exſultatione non potuit ſe continere, quin vltro adiiceret omnium vocibus, vt fieri aſſolet in plenum agentibus gaudium & pene furentibus. *Cupimus te (Illuſtriſsime Cardinalis) videre, alloqui, & ſaluum eſſe; vt ſimul Tecum ſaluæ pariter ſint & proſperæ res noſtræ, quas in manus tuas ſpe arrecti, & impleti dimittimus.* Non abſque ratione itaque (Illuſtriſſime Cardinalis (me pariter, cum vnus ex illa gente ſim, in tui clientelam,& patrocinium iam commiſi: hæcque mea Tibi offero, ſuper dicta, non pretium, vt me deuinctum liberem, ſed vel nouum pignus, vt decore obſtringam, vel alterum teſtem mei priuati cultus, fideliter virtutibus tuis, & meritis deuoti. Deumque iterum, & ſeorſim obnixe precor, vt Te decus & columnam illi communi patriæ ſeruet: Sic enim diutius nos clientes, & conciues fas ſit ſic dicere, quia tales vocabamur, antequam inter principes cenſereris) tuas colemus præſentes virtutes,& harum beneficia in varias ætates nobis profutura maiora, & numeroſiora conſient. Romæ Kal. Septembris.

AD LECTOREM.

CAPE (benigne Lector) quod pollicitus ſum, DISPVTATIONEM meam, in qua, vt agnoſces, non nulla mutata ſunt, alia plurima adiecta; vt non vereor, quin modo tibi magis grata, & accepta futura ſit: ſemper enim poſteriores curæ prioribus exiſtunt meliores. Et quia hic agitur de MORTE priuatæ cuiuſdam mulieris in abortu ſecuta, & quæritur an talis mors fuerit vere ex abortu, tanquam cauſſa interitus præcipua; ideo afferendum, & præponendum, veluti quo facti hiſtoria conſtat, & fulcitur, teſtimonium (aſſertio & fides vulgo dicitur) Medici, & Chirurgi: Medici, inquam, qui curæ, & medicationi, licet irritæ, mulieris præfuit; & Chirurgi, qui corpus poſt obitum ſecuit. Diſputationi annexum videbis RESCRIPTVM iiſdem de rebus, opus quidem ſubitarium, & ex occaſione natum. Reuera enim ὐδ' ὄναρ.i. non per ſomnium *reſcribere, minus edere cogitaram. Feci vtrumque; ſed ab aliis inuitatus aut impulſus, hoc prætextu, & ratione; quod deeſſet Diſputationi pars neceſſaria, munere hoc, veluti obiectionum & argumentorum diſpunctorio, omiſſo vel neglecto; & quia priuatim vltro in hoc reſponſo quædam reperiuntur in Diſputatione haud diffuſe tacta, digna luce, & cognitione etiam aliorum. An ita ſit ambigo, nec inquiro. Tu interim temeritatem & laboris extemporanei, ac fortuiti tenuitatem & leuitatem titulo facilitatis, & humanitatis (exorabiles enim, & ad parendum bonis, ac ſapientiæ profeſſoribus, vel ſtudioſis prompti ſumus) vel excuſa, vel quod malim ama. Ego te. Et ſalue.*

Teſtimonium (aſſertio ſeu Fides, vulgo dicta) Medici, qui mulieris defunctæ curationi Inſtitutæ, tentatæque, licet irritæ, præfuit, nedum interfuit.

DOmina Domitilla de Finibus vxor Domini Ambroſii Bonuicini Mediolanenſis ſpatio ſeptem menſium vtero gerens ſponte à febre continua, putrida, acuta ſolicitata, ſæuiſſimis accidentibus conflictata occaſione miſerrimi fœtus die ſeptima decedentis, & ipſa die ſequenti miſerabiliter vitam cum morte commutauit. Duce veritate hanc fidem ſcripſi, eandemque manu propria ſubſcripſi. Datum Romæ . . . . .

Ego . . : . . Medicus, qui, &c.

Te-

Teſtimonium Chirurgi, qui defunctæ corpus ſecuit, & intima ſcrutatus eſt.

FIDEM facio ego infra ſcriptus, quomodo ſtatim poſt obitum aperui corpus q. Dominæ Domitillæ vxoris Domini Ambroſii Bonuicini, inueni in vtero puerum ſuffocatum in aqua, & fere corpus putrefactum. Hac de cauſſa dico Dominam Domitillam periiſſe.

Ego .... Chirurgus propria manu.

DE MORTE
CAVSSA GRAVIDITATIS ABORTVS VEL PARTVS
Medica Diſputatio.

SECTIO PRIMA

Summam dubii & argumenti continens.

Diſputationis diuiſio.

QVONIAM continuata ſcriptio non ſolet citra tædium Lectoris produci; eapropter, & huius incommodi vitandi, & vt melius ordo & diſpoſitio materiæ ſeu operis cuilibet legenti innoteſcat, Diſputationem in quinque ſectiones, ſeu capita diſpartiuimus. Sectio prima ſummam dubii, & argumenti continebit. Secunda rationes & obiectiones aduerſariorum. In tertia ſtruemus, & eruemus opinionem noſtram, explicantes omnia, quæ pro eius intelligentia opportuna ſunt. Quarta obiectiones mouebit & remouebit. In quinta & vltima idem dubium propoſitum agitabimus; ſed in vniuerſum, nec vlli caſui vel euentui priuato aptatum. Rem igitur pollicitam, licet difficilem, ordiamur: difficilem dico ob nouitatem. Qui etiam ſcriptores, ad dirigendum aut firmandum? pauci, & ſparſim aliquid aut obiter tangunt. Colligam tamen, diſponam, nectam, & ordine, ac methodo, vt poſſum, dicam, decernamque; ac ſtilo etiam facili, & mihi familiari; nam accuratè hic loqui, eſſet putide.

1. Sectio.

Cum ea igitur ſit hiſtoria breuibus denarrata, reiq; præteritæ facies; iure meritò quæri poteſt, num huiuſmodi mors obtigerit propoſitæ mulieri vi, & robore vnius morbi, febris nempe; an potius viceuerſa ex grauiditate, ſeu abortu, abortuſque cauſſa: adeo vt locus ſit vulgatiſſimæ exceptioni, quæ paſſim in contractibus ſocietatum officiorum, Romæ vulgo ſic dictarum, poni aſſolet. Quæ res cum non pauci ponderis ſit ob damnum, & *intereſſe* (vt Iuriſperiti

riti loquuntur) partium, quarum in re eſt: eapropter veritas ſubtiliter, & curioſe, rationum, inquam, pondere, tum & auctorum probatorum ſuffragiis inueſtiganda, ac dirimēda; eoque magis, quod ferè pares rationes ex vtraque difficultatis parte ſeſe offerunt, animum ſpeculantis in deliberando diſtrahentes: vt propterea veriſſime iudicium, quod ſemper in medica arte, teſte Hippoc. *1. Aphor. 1.* *χαλεπὸν* *difficile eſt*, in re propoſita difficillimum dici poſſit. Sed vt vis dubii, ſeu controuerſiæ magis intelligi queat; ſciendū, hic non quæri, an talis mors, ſeu calamitas contigerit cum prægnatione, ſeu in prægnatione, vel dicas, abortu: id enim certiſſimum: ſiquidem narrant extractum fuiſſe, ventris ſectione, fœtum poſt obitum matris, ſeptem menſium mortuum, & putredinis labe turpiter aſperſum: vnde miſeræ mulieris mors ſi non in prægnatione ipſa, ſaltem in abortione, fœtuſque ipſius corruptione palam ſecuta eſt. Neque pariter in dubium vertitur, an mors dictæ matris immediate pendeat ex grauiditate, an potius ex vi morbi, & ægrotationis; quòd compertiſſimum ſimiliter ſit apud quemlibet vel mediocriter in rebus naturalibus ac medicis verſatum, grauiditatem ipſam etiam à laboribus, & incommodis ſuetis non immunem eſſe rem merè naturalem, minimè propriâ, ac geſtationis fœtus ratione palàm nocuam mulieri, tanto minùs lethum afferentem: ſiquidem eius incommoda & diſcrimina leuia ſunt, ac vt plurimùm temporalia. Partus etiam, vel fœtus alia excluſio culpari nequit, quia hîc ſimilis res non adfuit; ſicuti pariter non adfuere dolores, ſeu labores præuenientes, & ante partum exorientes. *Mortis itaque fax, origo, atque cauſſa coniuncta, vt dicunt, exſtitit dubio abſque morbus*; *Læſio*, inquam, *nocentiſſima operationum animantis, mulieris ipſius*. Quæritur ergo, & hæc res controuerſa, punctuſque difficultatis, meo iudicio, num cauſſa, ſeu occaſio *ἀφορμὴ* morbi, & morbi talis acuti, & maligni fuerint grauiditas, cum ſuis incōmodis ſuetis, & inſuetis, necnō abortus; an potius aliæ cauſſæ magis valentes, atq; diſcretæ, ſeparatæq; à grauiditate, & abortu; ſiue internæ ſiue externæ illæ eædem exſtiterint; ita vt iuſta mortis cauſſa ſic, non in prægnationē, & abortum, res morbo annexas; ſed potius in naturam ſeorſim, cōditionem, originem talis morbi referenda videatur. Et eſt, ac ſi quæramus, an fato, & ex natura, an magis violentia, & aliena vi (veluti ſi

ferro vel veneno obiiſſet) mortua ſit infortunata mulier: res ardua & difficilis, vti dicebam, cui ſtudio & diligentia opus eſt. Neque vlla alia ratione ſit in huiuſmodi ſocietatum contractibus exceptio mortis cauſa, ſeu ob errorem grauiditatis, vel partus (vt opinor ipſe,& obiter id dicam) niſi quoniam mors ex grauiditate, ſeu partu ſuborta crebra nimis eſt in fœmineo ſexu,ac veluti violenta: ſæpiſſime enim mulieres moriuntur ex grauiditatis, & partus incõmodis: ſuntque grauiditas & partus, propter ipſum fœtum, quid alienum,& ſeparatũ à muliere,ab extrinſecoq; in parte veniens. Quod admiratus Hippocrates *lib.de Natur.Mul.* meritò dixit: *Numen in homine magnum vim habet,inde natura mulierum.* Quibus verbis tangitur illud externum, & alienum: ſemen nimirum, & promotio, atque perfectio ſeminis ad animal,ex quo infinita prope (vt ſuis locis magis diſtinctè dicturi ſumus) pericula ſeorſum miſeris fœminis, vi quorum periculorum crebrò ante diem, vt ſic loquar, ipſæmet fœminæ pereunt,& moriuntur.

SECTIO SECVNDA

Argumenta aduerſariorum continens.

EX vna parte enim (vt diſputationem ineamus) non videtur prægnationi, ſeu abortui vere imputanda huiuſmodi mors, ſed morbo ſeorſum; quoniã morbus minimè ex illis fuit, qui paſſim vtero gerentibus,& cum difficultate, ſeu errore parientibus fœminis familiares,crebroq; infenſi eſſe cõſueuerunt:non, inquam,extitit verè ſoboles, & effectus grauiditatis vel abortionis. Nam prægnantiũ iniuſſi,& incoacti morbi, familiares nimirum (vt ex Hip.*lib.de Mor.* *Prægnantiũ morbi familiares.* *mul.* & exemplo Harpalidæ ſororis fœtu grauidæ,& morbo vexatæ apud eumdem met *7.Epid.* colligere licet,cui conſentit Ariſtot. *3.de Hiſt.anim.cap.4.*) ſunt inappetentia, nauſea, vomitus, pica,malacia, aphthæ oris,quandoque malignæ,animi deliquia,oculorum vertigines, tenebræque, fluores varii ſanguinis, adſtrictio, ſeu econtrario

rio lubricitas immodica alui, tumefactio corporis, qualis eſt leucophlegmaticis, lienis tumores, febres lentæ, non autem morbi acuti, & aſpergine malignitatis fœdati, qui ſui iuris, & ſpontis, qui nimirum propriis alioquin cauſſis valentibus, diſcretis, ſeparatiſque à grauiditate, & abortu inſtitui ſolent: ſicuti etiam partus difficilis, laborioſi, & improbi affectiones familiares, eique adſuetæ ſunt dolores varii ventris, & lumborum, incongruus, & difficilis ipſius fœtus modò ſani, modò cauſſarii egreſſus, ſeu ærumnoſa emiſſio, retentio ſecundinæ, vel recrementorum, quæ à partu exire ſolent, ſeu eorumdem immodicus fluxus; ægrotationes notæ, & planæ, quas minimè in caſu noſtro adfuiſſe certum. Cùm itaque iactura, mors ſecuta ſit ad febrem, febriſque talis acutam, malignam ſeſe oſtentauerit, & declarauerit; ſitque huiuſmodi febris non accidens prægnationis, ſeu abortus: verùm potius quid ab iis diuerſum, ac per ſe ſubſiſtens; non eſt, quod prægnatio etiam incongrua & difficilis, vel abortio culpentur, omiſſa & neglecta febre principali hoſte & nocentiſſima re.

Adhæc Eraſiſtratus, non ignobilis Medicus, quique ſecundum aliquos par fuit Hippocrati, apud Plutarchum & Gal. ſed nedum Eraſiſtratus: verùm etiam Hipp. ipſe *libello de Flatibus*, & *alibi*, necnō pariter auctor *2 lib. de Nat. hum.* vnanimiter cauſſas omnes morborum, ſeu cauſſarum occaſiones viſi ſunt reduxiſſe ad duo; ad τοῦ πνεύματος, i. *aeris* intemperamenta, inquinamenta, ſeu errata, & ad victum, quem Græci modò *δίαιταν*, modò magis ſtrictè τροφὴν appellant, & comprehendit tùm *σιτίον*, i. *cibum*, tum *πόμα*, *potum*. Quod aſpiciens pariter Herodotus Halicar. *Euterpe lib. 2.* de Ægyptiis ſermonem habens, ritè dicebat. *Singulis menſibus triduo purgant ſe gratiâ ſanitatis conſeruandæ, exiſtimantes, omnes languores hominibus creari* ἀπὸ τῶν τρεφόντων loco illius, quod Hippoc. dixit ἀπὸ τῶν διαιτημάτων, i. *ex cibis. Nam ſunt* (ſubiicit Herodotus) *alioquin Aegyptii omnium virorum ſecundum Afros maxime ſalubri corpore: aeris, vt mihi videtur, beneficio, qui nunquam immutatur, cuius mutationibus præcipue exiſtunt in hominibus morbi.* Cùm itaque prægnatio, atque abortus quid longiſſime diuerſum ſint pariter ab aere, & victus modo, legitimis, & veris ægritudinalibus cauſſis; iure merito nec morbi, nec mortis, veri eiuſdē morbi effectus, principium, & cauſſa illa merito ſtatui poſſunt.

Tertiò prægnatio, & abortus hic ſaltem illaborioſus & à dolore atque oris vteri mirabili illa apertione, necnon articulorum ſuetis diſiunctionibus immunis, & liber (factus enim eſt abortus retento fœtu, non expulſo) non ſunt cenſenda cauſa mortis ſubſecutæ; quia morbus fuit febris putrida, acuta, quæ febris cauſſas, & cauſſarum occaſiones, ſeu principia diuerſa diſiunctaque à prægnatione, & abortu habet. Præterea febris dicitur fuiſſe etiam à principio ſui ortus acuta, & maligna, ſeu mali moris; quapropter, quod fuerit lethalis, mortifera habuit ex ſua origine, ex propria natura, non autem ab alia re, ab alieno principio. Etenim ea eſt conditio, & materies morbi maligni, & iuxtà acuti, vt quolibet in ſubiecto, abſque vllo ſeu ſexus, ſeu ætatis, ſeu anni temporis, vel alterius conditionis diſcrimine, ille idem lethalis, & periculoſus ex ſui natura ſit, & obſeruetur. Sic enim de morbo acuto loquebatur magnus Hippoc. *1. Acutorum t.8.* cuius dictionem Dei voci Gal. *1. de v ſu part. 9.* æquiparat, omneſque idem ſenſiſſe, auctor eſt Suidas. *Sunt autem morbi acuti, quos priſci nominatim perſtrinxerunt, pleuritis, peripneumonia, lethargus, cauſus, & quicunque alii hos conſequuntur morbi, quorum febres prorſus continuæ interficiunt*; adeo, vt ipſi morbi acuti huius ſint conditionis, atque naturæ, quorum genere continetur noſtra febris, vt ex ſeſe, citra alterius auxilium, periculum ingens minentur; idque præſertim, ſi vnà cum acutie, cum celeritate iungatur, vt in caſu noſtro, *κακοήθεια malignitas* eiuſdem morbi, ſic periculo geminato. Quantum enim vim periculi augeat in ægritudine prægrandi malignitas, ſeu malus modus, videre eſt apud Gal. *variis in locis*: præcipuè autem *in hiſtoria illius miſerrimi phrenitici*, qui apud Hippocratem *3. in 3. Epid.* ante quartam defunctus eſt, quo loco, vti pariter *6. de loc affect. 5.* planis verbis diſertiſſimus vir Gal. prauitatē ſuccorum noſtri corporis inſignem, & deperditam æquiparat τῷ δηλητηρίῳ veroque veneno, quod effeciſſe conſimiliter Cæl. Aur. *lib. 3. cap. 4.* & Aretæum *cap. 7. lib. 1.* ampliſſime conſtat. Itaque cùm conditio, & improbus mos morbi, quo mortua mulier, fuerint tales, vt ex ſeſe, ſine alterius interuentu, ſine alterius auxilio potuerint quouis in corpore parere horrenda ſymptomata, & mortem citam patienti dare; non eſt, quod annexa grauiditatis, ſeu infœlix abortus, effectus, & ſoboles (vt ſic dicam) prioris morbi, ſeu febris, culpen-

Morbi acuti qui.

culpentur. Nam conſummata hæc prauitas, ſeu corruptio humorum noſtri corporis, principiis internis genita, eius eſt naturæ, & efficaciæ, vt merita habituum, diſcrimina corporis, & materiæ non ſpectet, peræque omnes indifferenter, more veri veneni, interficiat, male habeat. Quapropter noſtro in caſu ſi morbus fuit huiuſce peſſimæ conditionis, atque naturæ, fruſtra, ipſo potente, immiti, ac valido, damnatur ipſe abortus, aliud principium, aliud agens, & corrumpens.

Vltimò & fortiùs. Defuncta mulier cùm prius bene ſatis haberet, ſana, inquam, eſſet, ſponte, caſu, abſque alterius cauſſæ morbificæ manifeſtæ interuentu, à febre continua, putrida, acuta capta fuit, ſic in Teſtimonio, & enarratione præclariſſimi Medici, qui irritæ curationi, & medicationi præfuit, habemus: Igitur febris fuit primum mouens, quo mouente, cætera ſucceſſiue ab eo impulſa mouent, quo ceſſante, cuncta ſilent, quieſcunt, non mouentur, neque mouent: eapropter febris erit vera cauſſa, cui tribuenda actio, cui imputanda mors. Nam actio attributa alicui propter aliqua duo, neceſſe eſt, vt vnum eorum ſit materia, & aliud forma, ſeu agens; & ſi duo agentia, vt vnum ſit verum agens, aliud verò inſtrumentum: Actio autem iuſtius attribuitur non quidem materiæ, ſeu inſtrumento: ſed formæ, ſeu agenti; ſiquidem actio omnis fit ratione contrarietatis, contrarietas autem ſtat ex parte agentium, non materiæ. Quocirca febris cum fuerit primum mouens, ſeu agens; prægnatio verò, & abortus ſecundarium quid, ſeu potius materia, vel ſaltem conditiones, & diſpoſitiones materiæ extiterint, in quam materiam egit febris; propterea vna febris, reliquis vicem materiæ gerentibus, ſecundariis mouentibus omiſſis vel neglectis, culpanda videtur. Huius opinionis videtur fuiſſe etiam Galenus *6. Aphor. 29.* Quo loco de actionibus noſtri corporis læſis, vel lædendis, de morbis, inquam, imminentibus verba faciens, prudenti iudicio dixit, *ἐκ μόνης τῆς τῶν μορίων εὐπαθείας*, id eſt, *ex ſola partium imbecillitate, & patiendi procliuitate* non fieri morbum citra præſentiam, acceſſum humoris, tanquam cauſſæ principalis, & agentis. Quapropter cùm prægnatio, & abortus ſint, ſeu potius fuerint imbecillitates quædã corporis illius defunctæ, vicemq; materiæ patientis ſeorſum ſubierint, & retinuerint omni tempore;

ſeu magis diſpoſitiones materiæ exſt terint: non eſt, quod, omiſſa, neglectaque febre principali mouente, damnemus procliuitatem corporis prægnantis, & abortientis mulieris concauſſam (vt ita dicam) & inualidum ex ſeſe ad agendum principium: Eoque magis videtur culpanda febris acuta, quod finis ipſius, exitus opportunus non ſpectatus, *κρίσιμον οὐδὲ, χρηστὸν οὐδὲν*, vt ſolitus eſt dicere Hippocrates, *indicatorium, & vtile nihil* deprehenſum: Non viſa, inquam, criſis, non obſeruatus abſceſſus, citra quæ ſolutio, aut inclinatio vera febris, & morborum haud viſetur. Vt propterea congruum ſit rationi, rerumque curſui exiſtimare vnam febrem, ſuis incommodis, mortem dediſſe primùm fœtui, demum matri. Culpanda itaque illa cauſſa, quæ cunctarum miſeriarum principium & origo, quæ non mota mouet, hæc autem fuit febris, non abortus, effectus, & ſoboles (vt ita loquar) ſæuiſſimæ, atque indiſcriminatim, & promiſcuè fœtum, & matrem, licet imparibus incommodis, infeſtanti, & perdentis febris.

SECTIO TERTIA

In qua opinio auctoris firmatur, & ſtabilitur.

CÆTERVM ex altera parte non deſunt conſimiliter tum rationes, nedū paris; ſed maioris etiam ponderis, atque efficaciæ, tum ſcriptorum auctoritates, quæ vna mole, mutua conſpiratione, enarratam, & adſertam opinionem abiudicant, & reiiciunt: contrariam verò tuentur, & vindicant; nimirum, non febrem priuatim, ſed potius prægnationem, & abortum valentes cauſſas veram mortis fuiſſe originem, & occaſionem, ſeu, vt Hippocrates dicere ſolitus eſt, *ἀφορμὴν*: Fuit quidem febris, ſeu morbus, qui enecauit mulierem: ſed morbus id egit ob annexas ſibi grauiditatem, & abortionem: harum, inquam, auxilio, & viribus opus criminoſum perfecit: Ita vt gradus ille ſummus morbi, quo morbus effectus lethalis, & deſperatus, non aliunde ortum, fomitem & vigorē duxerit, præter quàm à præ-

à prædictis prægnatione, & abortione, efficaciter valetudinem pulſantibus principiis, primiſque mouentibus.

Prima autem ratio eſt, quod *κύησις grauiditas omnis*: eſt imbecillitas quædam, ſemiægritudo; vel ſi ſanitas, talis, non κατ' ἕξιν; ſed κατὰ σχέσιν, vt appellant, i. *in habitudine*; non fixa nec plena: Ita fœtus corruptio (ἄμβλωσις ἢ ἐκτρωσμὸς ἢ ἀποφθορὰ Græcis dici conſueuit) eſt plenus & apertus morbus: vnde doctiſſimus Fernelius *lib. 7. de hominis procreatione cap. 6.* dicebat, grauiditatē ad omne genus morbi procliuitatem: propter quod etiam nedum Auic. ſed Plato ſimiliter apud Gal. *5. de decret. Hipp. & Plat. cap. 5.* volebāt, grauidas tractandas eſſe priuata victus ratione: Et Vitruuius *lib. 2. cap. 9.* vltrò addebat, mulieres grauidas nunquam præſtari ſanas, neq; pariter in venalibus integras exhiberi: hinc etiam palleſcunt ferè ſemper huiuſmodi mulieres grauidæ, teſtimonio eiuſdem Hippoc. cuius euentus ratio eſt, meo iudicio, quòd grauidarum multum à ſe mutata eſt ſpiritus, & nutricatus œconomia, multum etiam complexio corporis iam minimùm perſpirabilis, tū quia excrementi copia exiſtit. Hinc ægre patitur etiam prægnans hyemis rigorē, nimios imbres, feruores, & intemperantiam omnem cœli: vti pariter nō bene fert aquarum & victus nouitatem; cæteriſque cauſſis etiam tenuiſſimis, atque offenſionibus ſubiecta & obnoxia palam degit. Sic identidem (vt inſtitutum ſequar) abortus potiſſimum difficilis, laborioſus, & cum morte ante exitum, in ventreq; matris ſecuta ipſius infantis, ſeu fœtus, qui grandior, eſt nedum morbus (vt dicebam) ſed morbus pernicioſiſſimus, à quo ſi euadat mater, habetur pro miraculo: maximè ſi comitem habeat talis morbus febrem. Audiendus Hipp. *5. Aphoriſ. 55. Quæcunque vtero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter caleſiunt ſine cauſſa manifeſta, difficulter pariunt, & cum periculo, aut abortum facientes periclitantur.* Et *lib. de Superfœt.* & *loco de Morb. mul. cit.* addebat idem Hippocrates, in abortu imminere febres, deliria, & huius cenſus quamplurima, quæ perículoſiora ſunt, vt interpretabatur Aetius *lib. 16. cap. 19.* quo mulier magis ſanguinea exiſtit. Quæ ſi vera ſunt, vti veriſſima, iure ſummo quælibet mors accidens in prægnatione, partu difficili, ſeu abortu, his valentibus principiis, & originibus, non aliæ cauſſæ, adſcribenda. Imò Hipp. ſapientiſſimus tanti fecit ſemper grauiditatem, & partum; vt paſſim talia incom-

O

moda pro cauſſis ægritudinum grauidas, & enixas infeſtantium libenter afferat, palamque culpet, aliarum ægritudinalium cauſſarum nulla mentione facta.

Nam ſicuti (vt exemplo & paritate rem magis aperiam, & comprobem) in morbis gentilibus & hæreditariis (ſic dictis, quod contagatione quadam ii ſumuntur à parentibus, vt ſcribebat Plautus *in Amph.*) dum illi ipſi erumpunt in liberos damnatur diſpoſitio liberorum innata, & corporis ſeu ſanguinis proprietati hærens, non autem error externus: quod ipſa diſpoſitio vniuerſim, & cumulatim ſumpta ex ſe veluti moueat, humores prauos generet, tranſmittat, recipiat, morboſque hæreditarios promat (propter quod Plutarchus, non ignarus etiam medicinæ, imperabat oraculi voce, & recte, ne malitię innatam ſimilitudinem in tenera ætate germinantem, & enaſcentem vllo modo negligamus; quin in ſemine, in herba opprimamus) pari pacto etiam diſpoſitio illa, quæ ſæpe ac ſæpius abſque hæreditate; licet interno, ſed nouo principio ingens, ac valida eſt noſtro in corpore, & remedium expoſcit, opprimendamq; ſe exhibet, & manifeſtat, in periculis, in diſcriminibus, in ipſa morbi flamma, funeſtoque exitu vna culpari debet, dimiſſo errore externo, & neglecta cauſſa procatarctica, ſeu initiatrice leui vt plurimum, ac minuta. Cum autem noſtro in caſu prægnatio, abortu in ſocietatem accepto, fuerit veluti diſpoſitio, ſeu imbecillitas conſimilis; ea propter calamitas, & ſcelus prægnationi antiquæ, & abortui recenti, nō verò febri vni imputanda ſunt; tantoq; magis, quòd diuinus vir Gal.*5.Aph.55.* ſed maxime *2.in 3.Epid.* memoriæ mandauit, in grauidis ob retentionem, quam diximus, menſtruorum, & menſtruorum inutilioris partis, vtili in alimentum fœtus conſumpta; ob corporis languorem; & aliis innumeris cauſſis, varios coaceruari humores vitioſos, qui leuem occaſionem nacti accenduntur, & non contemnendas febres, alioſque errores, agmine magno valetudinem tum fœtus, tum matris, pulſantes, edunt: Cui ſentētiæ libentiſſimè ſubſcripſit pariter Auic.*lib.3.f.21.t.1.cap.11.* his verbis. *Et ſimiliter eſt diſpoſitio illius, cui ex magnis aduenit febris acuta, interficit enim fœtum ex hoc, quod facit poſſidere de malitia complexionis, cùm ipſe ſit debilis, non tolerans illud, & ex hoc, quòd nutrimentum eius corrumpitur ex parte complexionis eius, & ex hoc, quòd cum mater non nutritur, debilitatur ipſa.*

Et ſi-

Et ſimiliter cum accidit in matrice eius apoſtema calidum: nam ſi eſt phlegmon, tunc quandoque ſperatur cum eo raro euaſio fœtus & matris. Imo Ariſtoteles pariter philoſophorum magnus *4. de Gen. anim. cap 6. & 7. de Hiſtor. an. 4.* manifeſtiſſimis verbis aſſerit, quod rei facit, cætera animantia, cum vterum ferunt, plurimum temporis corpore valere, mulieres verò magna ex parte ægras degere; idq; propter ſuppreſſionem menſtruorum; Et eſt id, quod dixerat antè profeſſionis noſtræ conditor Hipp. 5. *Aphor. 61.* nimirum prægnantes fieri ſtatim ἀσώδεις, i. *languentes*, faſtidioſas, male affectas. Neque quicquam obſtat eiuſdem Hippoc. auctoritas tum *lib. de Virginibus*, tum *1. de Morb. mul.* videlicet mulieres concipientes, & vtero gerentes ſaniores eſſe aliis, & à multis morbis immunes: quoniam id verum, nō de omnibus generatim; ſed de redundantibus, humidis, ac de iis, quæ copioſiori ſanguine refertæ ſunt; ſiquidē vniuerſus fœmineus ſexus, teſte Philoſopho *loco proxime cit. 4. de Gen. an.* nedum debilior & frigidior eſt, & læſio quædam naturalis, atque detrimentum; ſed multo magis tale redditur concomitantia, & adhæſu grauiditatis, propter quam grauiditatem, vt antea dicebamus, non modò fœmina continenter fere cauſſaria, & valetudinaria degit, ſed maioribus etiam periculis & diſcriminibus patet; vnde iure merito etiam partus legitimus criſi æquiparari aſſolet; eò, quia partus eſt perturbatio vehemens corporis, & animi; exoneratio quædam: Vt verè dixerit Medea apud Euripidem, ſe malle ter ſub clypeo in acie dimicare, quam ſemel parere: In partu enim homo maxime omnium laborat teſte Ariſtot. ita vt partus abſolutio, fœtuſque expulſio putata ſit exoneratio quædam à metu & periculo, tum & veluti cuiuſdam magni præter naturam corporis affectus ſolutio. Quæ cuncta cum optime intelligeret etiam gentilitas, ſolita ſua ſuperſtitione, mulieri fœtæ in partu tres Deos cuſtodes Intercidonem, Pilumnum, & Diuerſinum adhibebat; alios plures inuocabāt, vt in tanto diſcrimine opem cunctis ſuis vicib. ferrēt. Quod ſi qua valetudo (vt ad reliqua pergamus) acquiritur acceſſu & ope grauiditatis, vel partus, illa fruitur potius extra ipſam grauiditatē, & partu tranſacto, quam his durātibus: nam quæ, vigente grauiditate, & partus tempore nondū tranſacto, conſpicitur in corpore mulieris ſanitas, lubrica eſt, & vultu benigno ſæpe ſæuum quid & infelix celat. Habent itaque &

Quandŏ fœminæ vtero gerentes ſint ſaniores.

Partus quid.

In partu quanta pericula.

concipientes ἀτόφοροι, & ἀφόροι, i. *ſteriles & infructuoſæ*, ſeu vtero vacantes ſuos morbos: verum id diſcrimen inter has omnes reperitur, quod concipientes, & vtero gerentes, dum ægrotant, & maximè morbo acuto, grauioribus periculis exponũtur, immixtione ipſius grauiditatis, vt expoſuimus *ante*: cum grauiditas ſemper triſtis ſit, calamitoſa, & periculis obuia; vti ex aduerſo vacare vtero ſuis temporibus, & per interualla ſubſidium quoddam, & firmamentum eſt valetudinis: Quippe otium à grauiditatis negotio agens natura mulieris, tota vna ſibi incumbit, omne ſuum ſtudium ad tutelam ſui ipſius conuertit: Hinc nedum mulieres, verum etiam cuncta animantia infœta habitiora, & ſpecioſiora ſpectantur fœtis, reſtibilibus, ſeu crebro parientibus. Et id eſt, quod dicebat Auicenna, nimirum, mulieres ſteriles ferè ſemper iuuenes eſſe, & tardius reſtibilibus atque fœtis ſeneſcere. Sed demus etiam, febrem hanc, qua mortem oppetiit noſtra mulier, ſuas cauſſas habuiſſe diſpares ſeiunctaſque à grauiditate; ſuumq; ortum aliunde ſumpſiſſe: nihilominus quod exitus calamitoſus, funeſtus fuerit; propriè habuit febris à prægnatione, & ex abortu. Nam morbus acutus alioquin dubius tantummodo, inſidioſus atq; anceps, efficitur lethalis, & pernicioſus ex euentu; nimirum ſocietate, & fomite prægnationis; idque variis de cauſſis. Primùm enim ægre curatur talis morbus: quia grauiditas reſpuit, aut ſaltem non admittit valentia remedia (teſte Hipp.) purgationem, & ſanguinis miſſionem, quæ duo auxilia cenſentur neceſſaria curando morbo acuto. Grauidæ enim non purgantur, niſi à quarto menſe aduſque ſeptimum, atq; tunc ſeorſum, ſi humor materies morbi turgeat, & effræne moueatur: Sanguis verò non mittitur, niſi prioribus menſibus, & eo tempore pariter cum quadam formidine, & hæſitantia. Hippocratica enim iſthæc ſunt, Vnde habemus 4. *Aphor. 1. Mulieres grauidæ, ſi materia turget, medicaminibus purgandæ ſunt quarto menſe, & vſque ad ſeptimum menſem, hæ autem minus, recentiores verò, & prouectiores vereri oportet*: Sicuti pariter ſcribitur 5. *Aphor. 31. Mulier grauida ſanguine miſſo abortit, idque magis, ſi maior ſit fœtus.* Igitur morbus acutus, vt euadat verè lethalis, vt improbe remediis tractetur, vt fiat tandem incurabilis, peneq; deſperatus, habet a miſera conditione grauiditatis, quæ non modo pericula auget; atqui opportunitatem adhibendi remedia adimit.

Grauiditatē ſemper eſſe triſtem & periculoſam.

Auxilia neceſſaria morborum acutorum.

In grauidis quando liceat purgare & quando ſecare venā.

Ad hæc

Ad hæc (quod diſcrimina intendit) anceps, & incertus redditur victus modus διαίτα, conſimili occaſione, atque periculo, atque id merito vnius grauiditatis: nam ſi exacto & exquiſito necnon tenui victu nutriatur prægnans, vt morbus expoſcit, fœtus premitur inedia, & enecatur; vel ſaltem promouetur, vt dicebat Hipp. *lib. de Nat. fœtus*, ad exeundum foras; quod ſi Medicus indulgeat, pleniori victu, fœtui, in nouum incidimus diſcrimen, grauata nimirum onere cibi eneruata iam ob languorem natura, & diſtracta à pugna, & cōcoctione materiæ morbificæ. Pariter in recta, & optime conſtituta victus ratione ſi infans probe nutritur, debilitatur mater, ſi non nutritur, langueſcit ipſe, vtrumq; nocuū. Quod omne tangē. Auic. *lib. 1. f. 2. c. 8.* rite dicebat: *Incurabiles eſſe ægritudines eas, cum quibus eſt aliquid prohibens, neq; cōceditur Medico, vt medicetur, ſicuti debet.* Præter quod in conſimilibus periculis æſtus febris alioquin acutæ adeò vexat, & angit fœtum, vt eum in perniciem ducat, & violenter occidat: fœtu mortuo, cuncta poſtea deteriora redduntur. Ea propter ſumma periculi, cumulus difficultatum prouenit à prægnatione magis, quàm à morbo prægnantem occupante. Nam magnitudo, & κακοήθεια, i. *malignitas* morbi, ſeu febris inſertæ, & commixtæ grauiditati, cùm vehementer ſic vnà ſollicitent fœtum (vt pene miraculum ſit, vti proxime dicebamus ex Galen. ſi mulier prægnans euadat à conſimili genere morbi abſq; abortu, & morte infantis) euenit (quod obtigit in re noſtra) vt duplici inimico, ſeu diſcrimine circumuenta mulier, morbo alioquin acuto conflictata; grauitate videlicet præterita, & abortu præſente, cuncta aſperante, coacte, ac veluti violentia quadam ſuccumbat; & propterea prægnatio, abortio, & mors fœtus, conſenſu & velut de compacto, in vnam mulierem incurrentes, eamque improbe, ac variis offenſis prementes, & lethaliter diſponentes, febre inefficaci forſan ad perimendum principio omiſſa, culpandæ; Et hoc eſt, quod docere nos voluit ſagaciſſimus Auerr. *2. & 3. Meteo.* quanquam de alia re agens: nimirum præſtantiā actionis adſcribendam potius eſſe materiæ diſpoſitioni, quam agenti cauſſæ. Nam agens, etſi fax actionis, cùm nunquam agat vltra proprias vires, ſi quando effectus ingens, ſeu actio notabilis ſequitur, quæ ſuperet vim, & actum agentis, tribuenda eiuſinodi actio potius diſpoſitioni, apparatui materiæ ſubiicientis, quam agenti

Cur natura in vigore exiſtens debilior vincat morbum, in principio verò fortior exiſtens non poſſit.

principio. Quam rem perpendens iterum *4.coll.*35. dixit, *mirum eſt, quare natura, cum in vigore ſit debilior, quam in principio, poteſt in vigore vincere morbum, & non potuit in principio.* Et inquit, quod hoc eueniat, quia actus actiuorum fiunt in patiente bene diſpoſito, cum namq; cauſſa morbifica à principio eſſet rebellis, non potuit vinci, & opus fuit, vt prius ad naturæ actionem ſuſcipiendam diſponeretur, & diſpoſita potuit in vigore facilius ſuperari, quamuis tunc non ſit natura adeò valida. Etenim materia recte diſpoſita eſt cauſſa, vt agens remiſſum extendatur, intendatur, opus ſpectabile edat. Vnde Ariſtot. quod rei noſtræ facit, 5. *de Or.an.cap.*3. adnotabat, vti quid ſcitu maxime dignum, imbecilla & vitioſa parua cauſſa & exiguo momento immutari, & eſt, ac ſi dixiſſet, proprio marte, non alterius auxilio, aut ſaltem eo leui moueri: nimirũ, vt interpretabatur Auic. *lib.1.de Virt.cordis, cap.5. perfecte diſpoſitum ad effectum aliquem eſt duplum cauſſarum illius effectus*: videlicet recte diſpoſitum mouetur, immutatur adeo debiliſſima cauſſa, vt putetur, ſicuti dicit idem Auicen. & vt confirmat Haly Abbas, ex mente Galeni, *lib.5. ſuæ Theoricæ cap.*11. ex ſe, ſine cauſſa, citra alienum ſubſidium, moueri: Par & illud Senecæ *epiſt.*18. *Sic ignis non refert, quam magnus, ſed quò incidat. nam etiam maximum ſolida non receperunt: rurſus arida, & corripi facilia, ſcintillam quoque fouent vſque in incendium.* Ita profectò in medicis rebus, ſi diſpoſitio materiæ, ſeu ſubiecti valida ſit, cum qualibet vel minima cauſſa talis diſpoſitio materiæ deducatur ad actum, tunc Medicus, qui artifex ſenſatus, qui exſuperantias manifeſtas & in aperto priuatim reſpicit, neglectis, & miſſis clandeſtinis, ac minutis cauſſis agentibus, accuſat reamque agit materiæ conditionem, eique proſpicit dextra ſua. Quod attingens pariter Gal. 1. *de diff. feb. 6.* 3. *in* 1. *E-pid.*19. & *alibi* recte dicebat & ipſe, nullam cauſſam ſine patientis aptitudine agere poſſe: magnamq; in generatione ægritudinũ partem habere eius, qui paſſurus eſt, habilitatem corporis. Hinc addebat *c.4.einſd. lib de Diff feb.* ob naturam, conſtitutionem, & proprietatem totius ſubſtantiæ (quæ ſine dubio eſt ipſe apparatus corporis, & diſpoſitio, quam ſua lingua appellat modo ἐπιτηδειότητα, modo ἐπιμόνητα, interdum διάθεσιν) etiam ex bonis cibis coaceruari, & generari prauos humores, & ex malis cibis viceuerſa, cõmoda exiſtente diſpoſitione διαθέσει, quandoq; vtiles ſuccos; cui doctrinæ libenter

ſubſcri-

ſubſcripſit Auerrhoes, quem *paulo ante* citauimus, dicens & ipſe 3. *coll.8.* cauſas extrinſecas inſufficiẽtes eſſe procreandis morbis; quia illæ nō ſunt neceſſariæ in omni homine, quaſi valeant ſeorſum, in quibus eſt apparatus & fomes, ſeu incitamentum morbi. Imo Hippocrates ſummus omnium præceptor adeo æſtimat τὰ ἐπιδεκτικὰ (vt ipſe loquitur) *diſpoſitiones* corporum ad excipiendos, vel contrà arcendos morbos, vt variis in locis dixerit, illas ſolas morbos nonnullos accerſere, alios verò viceuerſa arcere & abigere; quaſi nulla vis ſit in efficiente cauſſa; ſeu intrinſeca ſit, ſeu forinſecus eadem accedat; quam ſua lingua ſolet nuncupare τὸ ποιητικόν: Nam vt maleficiẽtia efficiẽtis principii infringitur multoties cōtumacia excipiendi; ſic contraria ratione vis languens eiuſdem cauſſæ agentis excitatur & fouetur opportunitate, vitio, diſpoſitione excipientis.

Cauſas extrinſecas eſſe inſufficientes procreandis morbis.

Diſpoſitiones corporũ quantũ valeant ad ſuſcipiendos & arcẽdos morbos.

Et quantum ſpectat ad auctoritatem illam Galen. *6. Aphor. 29.* dicam, verum quidem eſſe, materiam ex ſeſe minime agere poſſe (vera enim cauſſa eſt agens principium) nihilominus in actione ſpectabili materiæ ſumma diſpoſitio valde culpari ſolet, & eo amplius ſi materies habeat in ſe, vt in caſu noſtro, rationem agentis, & principii. Et partis eupathia, ſeu imbecillitas, ſi ampla, vel diuturna ſit, humorem prauum, vel aliunde iam genitum, ſponte arceſſit & in ſe ſumit, vel de nouo generat; etiam propriæ imbecillitatis, & intemperiei vitio præcipuis partibus communicato.

Cum itaque morbus acutus alioquin tantummodo dubius, & indifferens, (vt ad rem noſtram reuertamur) exacuitur magis, euadit lethalis, & omnino incurabilis, id euenit mera ſubiecti diſpoſitione, quæ fit materies, & pabulum, imbecillitate, copia ſuccorum, & aliis incommodis, ipſius aduenietis, & creſcentis morbi: Quod, in parte, tangens etiam Aurelianus *lib. 3. acut. 3.* iure adnotabat, fortium hominum faciles eſſe curationes, debiles ſiquidem (quorum genere cōtinentur grauidæ, & puerperæ) oppreſſionibus magis ſuperantur, atque maiora adiutoria minime ferre poſſunt. Et eſt doctrina Galeni *1. Aphor. 5.* dicentis, vires, quanto ſunt validiores, tanto magis ferre errores grauiores, & quanto debiliores, tantò ægrius ſuſtinere errata & morbos: Hoc ſenſu Oribaſius *eodem Aphoriſ. loco* adnotabat, errata in ſanis & robuſtis certo modo eſſe viam ad ægritudinem, errorem vero & periculum in ægrotantibus eſſe viam ad

mortem; Et idem Gal. *1. Prorr. 8.* & *3. eiuſd. 4.* pari ratione ſcribebat, ægritudines alioquin propria natura difficiles euadere lethales, ſi accedãt debilib. Quam vniuerſam philoſophiam cum optime agnoſceret, vt omnia nouit, diuinus ſenex Hip. probe ſcripſit *5. Aph. 43.* & *lib. de Nat. mul.* ἢν γυναικὶ κυούσῃ ἐρυσίπελας ἐν τῇ ὑστέρῃ γένηται, θανατῶδες, i. *Si prægnanti fiat in vtero eryſipelas, lethale*: ſed latius, *paulo ante* dixerat *31. Aph. eiuſd. par.* Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ὑπό τινος τῶν ὀξέων νοσημάτων ληφθῆναι, θανάσιμον, i. *Mulierem grauidã morbo acuto capi, lethale.* Propter quod etiã addebat, i. *de Morbis ſub limine*, grauidam mulierem neceſſatiò perire, ſi pleuritide, peripneumonia, phrenitide, vel febre ardente capiatur. Sic pariter Cor. Celſus *lib. 2. cap. 5.* ſuum præceptotem Hipp. æmulatus ait & ipſe *Mulierem grauidam acuto morbo facile conſumi*: Iuxta hunc ſenſum habemus identidem ab auctote Coacarum. *Grauidas periculoſè habent cephalalgiæ ſoporatæ cum torpore graui coniunctæ.* Imo *quamlibet præter naturam affectionem etiam modicam ſuperuenientem vel grauiditate implicitis, vel puerperis mulieribus infauſtam tum per ſe, tum ex euentu* iudicat idem auctor, ſiue fuerit Hippocrates, ſiue alius. Vlterius ob hanc grauidarum prauam diſpoſitionem, imbecillitatẽ, apparatum ad morbũ crebro illæ eædem per ſæua temporum, & maligna cœli, per prauas conſtitutiones ſeorſum, vel promptius cæteris ægrotant, & intereunt etiam; vt nedùm experientiâ patet; ſed vt notauit pariter communis præceptor Hipp. tum *3. Aphor.* tum *in lib. de Aerebus*, tum maxime *2. in 1. Epid. tex. 68.* Quo loco ait, & eſt pulcherrimus locus, quiq; in re facit: *Multæ præterea mulieres languerunt, Non tamen ita, vt viri frequentes, minusq; multæ periérunt. Plurimæ autem grauem partum habuerunt, & à partu in ægritudinem inciderunt: quæ quidẽ potiſſimum moriebantur: Vt Telebuli filia, quæ ſexta à partu die defuncta eſt.* Et Gal. mortis potiſſimam cauſſam aſſignans, ait: *Atque quas corripuit morbus quiſpiam, hæ abortiebantur eadem ratione.* Vnde colligo, frigus externum promptius in grauidas egiſſe ob apparatum corporis, & imbecillitatem; mortis cauſſam fuiſſe abortum, & huius materiem grauiditatẽ. Lethale eſt (vt ad priorem & decretoriam Hipp. ſententiam reuertamur) tum eryſipelas illiuſmodi; tum quilibet alius morbus acutus pariter vniuerſim grauis, & mortifer exiſtit in grauida muliere non ex ſe verè, non propria ſeorſum vi; ſed ex accidenti, ob annexam ſcilicet grauiditatem, imminentemq; abortionem: nam

alias

alias eryſipelas vteri, & morbus quiuis alius acutus eſſent tantummodo periculoſa mala: verùm nouo diſcrimine eryſipelati, & morbo graui accedente, & per ſe, & ex euentu, quid maius malum fiunt iſthæc; ex periculoſis, & indifferentibus nimirũ vitiis euadunt merè lethalia, εἰς ὄλεθρον ἀποκρίνονται, vt Hippocratica phraſi vtar, i. *ad perniciem diſponuntur*, ac ſæpe etiam *indicantur.* Ratio eſt, quam aliàs tetigimus, quod grauidarum conditio exiſtit omnium vtriuſque ſexus εὐπαθεστέρα, ac periculoſius ipſam habet omnis à natura egreſſio, cuius etiam difficillima redintegratio. *Ergo grauiditas & abortus ſunt illa incommoda, quæ maxime mulieribus morbo acuto captis negotium faceſſunt*; quod & efficientis, & materiæ morbi reſpectu diuerſorum vicem gerunt: & maxime ſi abortus cum morte infantis, cuius mors ad matris confeſtim exitium redundare adſolet, exiſtat. Imò pari etiam ratione hebetes, & tardi morbi, maxime in morem adducti, intenduntur *multoties*, & augeſcunt adhæſu grauiditatis, & partus; ruinamque minantur: dixi, *multoties*, propter eos, qui tali oportunitate, licet per accidens, expugnantur, & recedunt, vel ſaltem remittunt, & detenduntur. Adeò enim defauent valetudini grauiditas, & partus, vt obſeruatum ſit, & in prouerbium etiam ceſſit, multas ægritudines grauiditatis, maxime partus tempore cõtractas implacabiles, atque inſanabiles durare. Imò læta & proſpera in his caſibus vulgo ſuſpectantur, quod vt fluxa & mobilia ſæpiculè in aduerſa mutentur; nec vlla ſpes quamuis ampla citra timorem aliquantum. Et puerperæ priuatim ſemper pauidæ metus incutit quodlibet, vmbra, ſtrepitus. Hinc ſola illa eadem nunquam deſeritur, ac relinquitur, cùm periculorum ſuſpectu & opinione etiamnum vexetur; & animo fracto ſtatim conſentiat poſtea imbecille corpus.

Concludamus itaque iuſtam cauſſam, & materiem mortis fuiſſe grauiditatem, & abortum, mortemq; ipſam non immunem prorſus fuiſſe à violentia, & eò magis, quod languor primùm, demum mors fœtus mortem matris anteceſſere: vnde facile affirmari poſſet, obitum matris variis ſtimulis ſolicitatum fuiſſe à mortuo fœtu; ſed nedum mortuo; verùm etiam putreſcente, & vere ſphacelato. Nam dicitur ita putredinem fœtum occupaſſe, vt caro à carne nedum ab oſſe ſponte, ſeu leui contactu abſcederet. Etenim ſi Hippo. oculatiſſimus tanti exiſtimabat incommoda grauiditatis, & labo- *Auctoris concluſio.*

res partus, vt crediderit Philini vxorem, quæ filiam pepererat, & cui alia ſenſui obuia ſecundum naturam tranſegere, partus cauſſa (iuxta interpretationem Galeni) igne, id eſt, ingenti febre correptã eſſe, & Epicratis vxorem eadem ratione, grauiditatis, & partus nempe detrimento, & concitatione, diuturniſſimo morbo detentam fuiſſe; ſique tanti pariter ſolitus eſt idem Hipp. metuere ſuppreſſionem immerito menſtruorum, tum maxime puerperiorum, quæ maleficio menſtruas purgationes præcedũt cohibita, vt horum lethalem, atq; peſtiferam, illorum grauem exiſtimet, quid ſuſpicandum nobis erit, ſuper id (omniq; humore circa locos exiſtente in empyema velut conuerſo) de fœtu mortuo retento, & putreſcente? non aliud certe, niſi fuiſſe veluti gladium quendam iugulantem ægram iam mulierem, & in periculo cõſtitutam. Locus igitur probe eſt noſtro in caſu exceptioni prædictæ contractus ſocietatis officiorum: cum mors abſolute nõ ſit naturalis; ſed violenta, rationeq; principii extra mulierem, eſſentiamq; mulieris exiſtentis: quandoquidem grauiditatis, & fœtus accidentia ſunt fœminineo ſexui naturalia partim: ſed vniuerſim tamen lubrica, & periculis obuia. Quod vt nouo teſtimonio comprobetur, audiendus Hippocr. apprimè ad propoſitũ locutus. *Mirum videri non debet, cum audimus mulieres abortire: nam ſtudio, & induſtria opus eſt non vulgari ad bene feliciterq́, gerendum vſque ad partum perfectum, & ad commeatum fœtui ſubminiſtrandum, quamdiu in vtero eſt, tum vero ad omne in partu periculum defungendum.* Neque valde laboro ipſe (vt obiter id dicam) ſiue verba adpoſita in inſtrumento cõtractus dicant, *ex prægnatione, & partu, ſiue cauſſa prægnationis & partus*; quoniam huiuſmodi verba ſeparata, & ſeorſim ſcripta parẽ habent ſignificationem, inſimul vero poſita, vt ſæpe fit, vltima clauſula *cauſſa prægnationis*, &c. eſt explicatiua prioris dictionis, plenæque mentis, & conſilii contrahentium explanatio integra. Quod ſi cui etiam placeret, vt prima particula denotet cauſſam immediatam, ſecunda vero mediatam, quæ agit ſuperuentu alterius, & velut occaſio exiſtit, parũ refert; ſemperq; cauſſa immediata mortis eſt morbus: ſed quoniam morbus ſæpe, ac ſæpius duobus incommodis, ſeu periculis, tanquam principalib. mouentibus, conſtat; altero quippe veniente à nequitia morbi prioris ſeorſim ſumpti ab abortu, altero ab eodemmet abortu, qui nouorũ præter naturam affectuum ma-

teria

teria, & ſeges: eapropter culpatur nobis vnus abortus, cum ſit ipſe veluti principium, ſeu potius *πρόσθεσις additamentum* morbi, & additamentum tale, quod ex ipſo putatur mors emanaſſe: ſumma enim diſpoſitio materiæ fit veluti pars agentis, & in naturã agentis tranſit, quod puto indicare voluiſſe antiquitus ſapientiæ profeſſores, effatos actus actiuorũ eſſe in patiente bene diſpoſito. Etenim etſi cõcedamus ante febris inuaſionem mulierẽ illam bene habuiſſe, fœtumq; ſanũ quodammodo extitiſſe (quamquam de his meritò dubitari etiam poſſet) febrem fuiſſe primum motorẽ: nihilominus ad motus varios primi mouentis, ad læſionem febre factam ſubſecuta ingens læſio infantis, quæ cunctæ læſiones, & incõmoda, ſyntimoria etiam aſperata, ſic vna mole, mutuis viribus ſæuientia atrociter in fœtam, præcipitem eandem egerunt ad mortem. Culpatur verò vnus abortus, quia prima læſio inſufficiens erat ad perimendũ; nam additamentũ & culmen fuit cauſſa actionis, ſeu perfectionis actionis, quod additamentum diuerſis modis conſideratum eſt & materies morbi, ſeu diſpoſitio materiæ, & pars inſignis agentis proximi, nouumq; mouens. Nam etſi in agentib. perfectis, necnon veris, iuſtiſq; generantibus agens, & tribuens eſſentiam ſemper vnum, & idem eſt, non verò multiplex: attamen in agentib. perfectis minus, in corrumpentibus ſæpe, ac ſæpius plura agẽtia modò ſubordinata, modò non ſubordinata, ſed diſcreta, diuerſaq; dantur iunctim cooperantia, & in vnum finem tendentia; & actio tribuitur illi agenti, cuius ſuperuẽtu, & additamento confit actio, quæ alias fieri nõ potuiſſet, aut æque non bene. Id tangens Hipp. *variis in locis*: ſed primũ & vniuerſim *lib. περὶ παθῶν*, probe dicebat. *Quorum morborum alter ſuperuenit alteri, maximam ille partem interimit*. Sic *in Epidem.* & *vbiq;* cauſam pariter mortis adſcribit morbi additamento, vel ipſi morbo idea nouo ſuccedaneo; ſeu permanente, ſeu nõ permanente priori. Neq; verum, imbecilla & leuiora in auxiliũ fortioris mali non accedere, quod cõſtet pleraq; auxilia (vel exemplo à militia, & par in morbis) eſſe talia. Mors itaq;, mulieri abortienti febre acuta, & maligna detentæ ſuborta, iure imputatur, non priori morbo, nõ febri; ſed abortui, grauiditati incongruæ: morbuſq; vnus fuit eſſentiâ, ſeu ideâ: ſed duplex radice, ſeu materia, vel dicas, origine τῇ ἀφορμῇ, quæ dedit nedum exórtũ; ſed progreſſum, motum, atq; exitum peſſimũ.

SECTIO QVARTA

Solutionem argumentorum aduerſæ factionis ſpectans.

NEQVE argumenta pro altera parte primo loco adducta, quamuis ſint alicuius momenti, eius tamen exiſtunt roboris, quin confutari, & vt veriſimilia potius, quam vera obſeruata demõſtrari queant. Nam dato etiam, quod febris magna, maligna non ſit morbus proprius vteri, fœtus, grauiditatis; quod habuerit ſuas origines, & cauſſas ſeparatas à prægnatione: attamen quod fuerit lethalis, mortifera, habuit ex vno abortu, ex incommodis grauiditatis, quæ omnia fuere (vt expoſuimus) irritamentum, & noua materies morbi magni, & acuti: Quamquam (vt libere dicam) in grauidis, & partum agentibus dum apertiores cauſſæ ægrotationis, & interitus non apparent (quod obtigit noſtro in caſu) ſemper Hipp. ſolitus eſt non aliud libentiùs accuſare, reum agere, quam grauiditatem, & partum; hæcq; habet omni tempore pro veris morborum cauſſis. Quocunque igitur modo ſumatur morbus ſiue in principio, ipſo languore exoriẽte, ſiue in progreſſu, vigore, atque exitu funeſto, ſemper culpam ad ſe trahunt grauiditas & abortus. Neq; id ſine ratione, quod grauiditas & parturitio (vt *antea* notatum) laborioſæ ſunt in homine, teſte Ariſt. *7. de hiſt. an. cap. 9.* & *4. de Gen. an. 6.* vt non immerito illææ eædem morbi dici poſſint: quemadmodum, & ſenectus dicitur: *Morbi naturales qui.* naturales, inquam, morbi; id eſt, à natura inſtituti: licet enim ſint oblæſiones operationum; ſunt tamen functiones naturales grauiditas & partus; ſed laborioſæ, & cum detrimento eiuſdem naturæ. Imò mortes etiam euenientes partu legitimo finito, dummodo ſint effectus, & opera morbi orti in grauiditate, ſeu partu: dummodo, inquam, ſint ſoboles, & germina incommodorũ partus, ſeu grauiditatis, ſemper reliquis præter naturam omiſſis, tanquam minus valentibus, in partum, & grauiditatem, veluti in ſuas iuſtas cauſſas referuntur. Non obſcure annuere mihi videtur Auic. 21. 3. *1. v. c.* 33. his verbis; *Et accidunt fœtis ægritudines plurimæ, ſicuti fluxus, & retentio ſanguinis.*

guinis. quare perducit fluxus ſanguinis ad caſum virtutis, & perducit retentio menſtruorum ad febres prauas, & ad apoſtemata praua, & multoties accidit exitura ex partu difficili, & quandoq; accidit eis inflatio ventris, & fortaſſe moriuntur. Fluctuat itaq; valetudo tempore tum grauiditatis, tum partus, inſidioſa eſt, & periculis magnis palàm expoſita; magis autem euidenter in abortu, quod totus ſit præter naturam (vt aſſerebat Hippocrat.) & multoties *ἀρχέκακον principium* verum, & origo omnium malorum ſuperuenientium: ſic puto fuiſſe in illa muliere apud eundem Hipp. *in Epid.* quæ circa quintum menſem abortiuit. Nam etſi febris acuta prægnanti eſt lethalis vel ratione ipſiuſmet prægnationis, vel fœtus, vel vtriuſq;, vt interpretabatur Galenus, attamen minimè dubitandum, quin copia prauorum humorũ in corpore prægnantis collectorũ poſſit citra febrem fœtum interimere; atq; hinc occaſione arrepta, febrem dein prauam accendere: Sed in re noſtra parum refert, ſiue hoc, ſiue alio modo euenerit. *Abortus.*

Auctoritas autem Eraſiſtrati, Hippoc. necnon etiam Herodoti facile dilui poteſt, & commoda interpretatione iuuari: quòd hi viri, præcipuè Hippocrates & Herodotus (nam Eraſiſtratus cauſſas procatarcticas negabat) *loc. citatis* locuti ſint de cauſſis morborũ extrinſecis, & in aperto, atque initiatricibus, quas vulgus in primis ſectatur, quaſq; & vetuſtiſſimi Medici ſolas animaduerterunt, obſcuris, (vt inquit Celſus) ab arte reiectis: nos vero impræſentiarũ verba vniuerſim facimus de cauſſis omnibus, de intrinſecis etiam, inter quas cauſſas Hipp. agnouiſſe pariter grauiditatem, abortum, & partum adeo clarum, vt probatione minime egeat. Nam alias idem Hipp. *lib. 1. de Morbis* vniuerſe comprehendens cunctas morborum cauſſas, oportunè dixit: *Morbi omnes veniunt, naſcuntur, principia cauſſaſq; ducunt aut ab iis, quæ extra ſunt, aut ab iis, quæ intra inutilia.* Et vt extrinſeca reducuntur ad ſpiritum, quem ſpirantes ducimus, & ad diætam, quæ cõſtat ratione victus, & vitæ inſtituto; ſic intrinſeca ſpectant copiam, vel qualitatem humorum prauam; grauiditatẽ item, abortionem, partum, & paria, quibus vitium infertur corporis partibus, & eiuſdem humoribus. Poſſum & alio modo reſpondere: nimirum duplex genus actionis manare à cauſſa externa: ſiquidem alia actio eſt, quæ fit vi cauſſæ primitiuæ ſenſim, & diuturnitate agẽtis; Alia, quæ impetu, & velut momento: & quemadmodũ hæc ra- *Duplicem actionem manare à cauſa externa.*

ro inſignem effectum edit citra conſpirationem internarum cauſſarum; niſi vehemens ſit; ſic illa fere vniuerſa eſſe poteſt cauſſæ externæ propria, de hacq; actione loquebantur Hippocrat. & Herodotus dicentes;cunctos morbos fieri ab aere,vel victu; Atq; id non officit rei noſtræ, cum quæſtio ſit de cauſſa externa noua, quæque impetu,& momento agit; & excitare dicitur,non generare & ordiri morbum. Non nego tamen, quin externa cauſſa ſenſim & diuturnitate agens coadiuuetur ſæpe ab interna, veluti criminis conſocia:at multoties citra illud ſubſidium & adiumentũ ex ſe ſola immutat & lædit, quod facit etiam aliàs interna & forſan crebrius: Et vtrumque tetigit Hipp.*lib. 1.de Morbis cit.*

Tertium argumentum erat deductum ex natura febris acutæ, malignæ, quæ omni tempore ex ſui natura lethalis, & pernicioſa. Ad quod reſpondendum,in morbo,quo iugulata mulier,duo conſiderari poſſe:principium nempe, & progreſſum, & cum progreſſu exitum. Quantum ſpectat ad principium, etiamſi concedamus, illud pendere potuiſſe à fonte,diuerſo, & diſcrepante à prægnatione & abortu: nihilominus ſi conſiderentur morbi progreſſus, incrementum,& vigor,ſi eiuſdem morbi exitus, & vltimus conatus,planè conſtabit, morbum originem & fomitem pro maiori parte traxiſſe à grauiditatis,& abortus incommodis: quoniam grauiditas,& abortus auxere morbum, & talem, qualem fuiſſe narrant, horribilem videlicet,& funeſtum,palàm effecere. Præter quod probe etiã affirmari poteſt, initium, & germen morbi ortum potiſſimum duxiſſe à conditione grauiditatis vt plurimum ex ſui natura morboſæ; & vnà forſan ex infantis imbecillitate: nam audio, mulierem hanc noſtram defunctam non admodum natura propria, valetudiniſq; cura firmæ & robuſtæ ſanitatis fuiſſe:ſed potius ſolitam eſſe ſingulis annis repente,citra manifeſtam cauſam ægrotare,febre capi:In his enim haud valentib.mulieribus,aut non bene nutritur infans,aut ſi nutritur,eſt cum periculo matris,vt dicebat Auic. Ad hæc in grauiditate aceruantur tacite varii præter naturam humores,qui leui accedente occaſione (quæ haud habetur pro principali mouente, nõ mouens notorie abſq; internis fomentis) febres omnis generis accendunt, quæ mulieres in diſcrimen ponunt. Neque officit, quod doctiſſimus vir, qui curationem duxit, falſus ſit in enarratione ſeu

hiſto-

hiſtoria morbi, *mulierem ſponte correptam eſſe febre acuta*, &c: quia illa vox, *ſponte*, quod eſt Græce αὐτομάτως ſeu παραλόγως, denotat quidẽ ſine προφάσει vel inſita & prænuncia, vel extrinſecus accedente, nõ autem abſq; morboſo corporis apparatu, vt ſenſibus non obuio, ſic prægnantibus familiari. Ita Hipp. *in epidem.* ſemper occaſiones morborũ grauidas & puerperas infeſtantiũ confert, & reſcribit in grauiditatem, & partum tanquam in validiſſima principia, & mouentia principalia: quaſi grauiditas, & partus planæ ſint ægrotandi cauſæ, & faces præpotentes, plurimumque valetudini infeſtæ.

Aderat auctoritas Hip. p. *1. Acu. 8.* quam auctoritatẽ ſic ſolitus ſum interpretari: nimirum, vt per acutos morbos hoc loco intelligat diuinus vir omnes indifferenter morbos celeriter ſeſe mouẽtes cum periculo ægrotãtis, quo nomine & appellatione veniunt nedum acuti ſimpliciter: ſed peracuti etiã, ſeu acuti cum additione: veniunt, inquam, dubii non modo, & timorem habẽtes, vt loqui ſolet Auic. ſed etiam verè lethales, ſeu ex toto genere ſeorſum mortales. Nam *paulo infra* explicãs ſe magis idem Hipp. ait ſe per acutos morbos intelligere non quidem epidemiales, ſeu peſtilentes vere: ſed ſporadicos, qui celeriter & cum diſcrimine ægrotantis mouẽtur, à quibus, inquit ipſe, plures, quam ab aliis omnibus intereunt. Igitur nomine acuti comprehenduntur hoc loco cuncti illi morbi, qui celeriter ſe mouentes, citis ſuis laboribus, varium virib. & latitudine diuerſum minantur periculum. Ergo Hipp. confundit vocem *acuti*, ac miſcet inſimul cunctos morbos celeriter ſe mouentes cum impetu, & periculo ægrotantis: licet abſq; lue: Quos morbos alias ſingillatim ſeiunxit. Etenim acutorum morborum alii ſunt ſimpliciter acuti, alii verò cum additamento. Simpliciter acutus morbus iuxta periculũ, quod ipſemet infert, minaturq; dicitur ab Hipp. *5. Aph.* κακός: Acutus vero cum cõditione, ſeu additamẽto ſolet nuncupari θανάσιμος: Magnam autem differentiam facit idem Hipp. interprete Gal. *5. eadem Aph. p. 2.* inter has duas voces, quoniam κακὸν dicit malum, *dubium*, *periculoſum*: θανάσιμον vero ſignificat *lethale*, *pernicioſum*, deſperatum vertere ſolet Plinius: Et idem Hippocr. alias dixit ἀνέλπιστον, ſeu ὀλέθριον, vel πονηρόν. Eapropter morbus acutus ſimpliciter, ſine additamento, eſt dubius, anceps; cum conditione autem, ex dubio, & indifferenti fit lethalis, deſperatus: id eſt, vt Galenus *loco proxime citato* exponebat, mortem de neceſſitate, vel *crebro* ſaltem in-

Morbi acuti quotuplices.

Acuti ſimpliciter.

ferens. Summo iure illud, *crebro*, additum: quoniam nullus morbus, quantumuis ideâ, ſeu magnitudine terrificus, adimit ſpem ſalutis, certo mortiferus eſt, in quo nō appareant ſigna ſuperatæ naturæ, quæ veteres τὰ ἐπιφαινόμενα θανατώδεα nominarūt. Sed ad rem noſtram. Acuti morbi cum conditione ſunt iidem met acuti, ſi inſignes ſint in ſuo genere, vt magnæ pleuritides, & ſic de aliis; ſicuti etiam pares fiunt morbi, ſi recidiuent, ſi ſuperueniant, id eſt, ſi accedant, vel ſuccedant aliis acutis; ſi item imbecillibus, & cauſariis, ſi ſenibus, ſi prægnantibus, vel puerperis eueniant; ſi autumnales tandem exiſtant: nam tunc conditionati ſunt merito προσθέσιος *additamenti*, & acceſſus. Igitur febris acuta noſtro in caſu ex ſe erat κακὴ *mala*, periculoſa, ob annexam autem grauiditatem, ſuperuentu abortus, amplificantis vna cum præterita grauiditate ægræ periculū, effecta ἡ κακίων, θανάτη *lethalis*; ac mulierem miſeram ad perniciem exitiumque duxit. Sic auctor *1. lib. de Morb. mulier.* ſiue fuerit Hippo. vt Aureliano, & Celſo placuit, ſiue Polybius Hippocrat. diſcipulus, vt alii cenſent, inter morbos (vt tetigimus *antea*) qui de neceſſitate, vel creberrime interimunt mortales, adnumerabat tabem, hydropem, & cum his morbos vniuerſos acutos prægnanti ſuperuenientes. Acutos vero ſine additamento, quibus nihil accidit, *eodem loco* putat idem auctor indifferentes, ἀμφιβόλους *dubios*, quorum aliàs dixit Hippocrat. non omnino certas eſſe prænunciationes ſalutis, aut mortis: Nam ſi de acutis cum additamento loquutus fuiſſet ſeorſim Hippocr. *loc. cit. 2. Aphor. 19.* dixiſſet libere, crebriorem, & certiorem in illis ipſis eſſe, etſi ſemper cum ambiguitate quadam mortem ſalute. Quod ſi quis inſtet, noſtrum morbum à principio citra fœtus corruptionem acutum fuiſſe, & inſignem in ſuo genere, & ideo κάκιστον. θανάσιμον: hoc eſt, peſſimum palamque ad mortem fatalem; dicam ipſe, talem eſſe effectum merito improſperæ grauiditatis mala inſtantia ſemper accerſentis, vel antiqua, & aliunde orta mirè intendentis, augeſcentiſque.

Acuti, cum additamento.

Quod ſimiliter generentur venena noſtro in corpore æmulantia tum qualitatem, tum vires veneni externi, & veri, meritaque habituum corporis non ſpectantia certiſſimum: verùm facilius id fit cooperante prægnatione, ſeu partu, bino, inquam, vel trino principio, quam vno; adeo vt, ſi tale venenum infeſtet nonnumquā præ-

gnan-

gnantes, aut puerperas, iure poſſint probabiliter culpari magis prægnatio, & abortus, ſeu partus, vti poſteriores cauſſæ, quam aliud principium: Quamquam noſtro in caſu minimè narratur, adfuiſſe in corpore mulieris defunctæ liuiditatem, vel nigredinem, varietatem coloris, tumefactionem cadaueris, & conſimilia, quæ ſolent eſſe probabilia veneni tum externi & ſparſi, tum intus geniti argumenta, ſeu ſigna.

Pro enodatione vltimæ inſtantiæ & obiectionis, quæ fere coincidit cum prima & tertia, dicendũ, febrem diuiſim ſumptam à prægnatione, & abortu minimè fuiſſe primum, aut principale mouens in caſu noſtro. Non fuit primum: quoniam dum prægnans, aut improbe pariens infirmatur, primùm incuſantur prægnatio, & partus, vti primordia morbi, demum reliqua. Id enim effecit ſemper Hipp. *in libris Epidemicis*, dum de mulieribus grauidis, ſeu puerperis ægrotantibus ſermonem habet: ſatis enim habuit dicere *prægnans erat, peperit*; nec magnam aliarum morbi videtur cauſſarum habuiſſe rationem: adeo vt dicendum ſit, febrem, & morbum eſſe grauiditatis & partus, etiam ſpecie quadam naturalium, & probe venientium, effectum, & in actione motum, ſeu mouens ſecundarium. Sed clarius id conſpicitur ex dictis primùm eiuſdem Hipp. *præcitatis*, demũ ex Gal. doctrina 5. *Aphor*. 55. Ait enim parens medicinæ Hipp. *Quæcunque vtero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter caleſiunt ſine occaſione manifeſta difficulter pariunt, & cum periculo; aut abortum facientes, periclitantur.*

Hæc eſt pene res noſtra. Nam Domina Domitilla fœtu grauida, ſponte, & abſque cauſſæ manifeſtæ interuentu febre correpta, abortum fecit, & periclitata, mortua; idq; merito grauiditatis, & abortus in ægræ perniciem ſyntimoria, his caſibus, conſpirantium. Cum itaque caſus noſter accommodetur aphoriſticæ ſententiæ, danda verba Galeni, quæ habentur *in comment*. quippe quæ rem pleniſſime explicent, & punctum tangant. *Accidit quibuſdam grauidis, in quibus vitioſi humores, priuſquam conceperint, ſunt aceruati, nonnunquam à febribus vehementibus corripi: adeo vt ex neceſſitate abortiant: nonnunquam verò à mediocribus quidem: ſed cum non purgentur efficaciter, aliquid ſupereſt reliquiarum humorum in corpore vitioſorum, ex quibus febres erant inſtitutæ, vtpote non potentibus Medicis mulieri grauidæ aliquid valens auxi-*

lium adhibere, aut exquiſita victus ratione vti. Ob hanc igitur cauſſam febris in ipſis frequenter reuertitur, & maxima temporis parte grauiter ſe habent. Non ſine ratione igitur fœtus aliquando nequit obſiſtere: ſed à febribus, & vitio humorum corrumpitur: nonnunquam vero perdurat quidem vſq; ad tempus: ſed cum & ipſe valetudinarius ſit, vt qui longo tempore laborauerit, & matrem habeat imbecillem, non ſine periculo paritur. Nam ad bonum partum duorum corporum vigore eſt opus, & grauidæ mulieris, & infantis.

Pari pacto etiam idem Gal. 3. *in 1. epid.* teſtatur, ægram illam mulierem trimeſtri fœtu grauidam apud Hipp. & igne, id eſt, febre (vt ipſemet Gal. interpretari ſolet) ardentiſſima, correptam; grauiditatis, & fœtus merito eſſe periclitatam. Itaque grauiditas, ſeu humores in grauiditate, ſeu ex grauiditate coaceruati ſunt in his, & conſimilibus caſibus primum mouens, *ἀρχέγονον* (à quo cætera pendent) & iuſta morbi, ſeu febris cauſſa. Quod ſi Gal. *2. in 3. epid. ægroto 10. & 11.* dicit manifeſtiſſimis verbis, prægnantes poſſe cauſſa a prægnatione diuerſa ægrotare, id, quod *ibi* affirmat Gal. intelligi debet de cauſſa procatarctica, & initiatrice, quæ in aperto, quæque minimè notorie agere ſolet (vt aliàs ex mẽte eiuſdem Galeni adnotauimus; niſi rationem, & modum *περφάσιος* egreſſa ſit, & validiſſima effecta) abſq; fomite cauſſæ internæ, & cõtinentis; quæ cauſſa interna nunquam ſubeſſe valens poteſt in corpore grauiditate implicito, citra culpam eiuſdemmet grauiditatis; etſi caſus aliquis forte fortuna excipiendus, certe talis non eſt noſter, vt clarius infra magis fiet. Non eſt ſimiliter febris acuta, maligna præcipuum mouens in re propoſita, eo quia febris etſi quoad principium, ante manifeſtam fœtus læſionem erat principale mouens, & affligens: attamen læſo & corrupto fœtu, nocentiſſima mille modis re, euaſit febris veluti effectus corruptionis fœtus, ſaltem quoad illos gradus, quorum merito lethalis effecta. Neque res noua, valdeq; admirabilis, vt corruptum euadat corruptor, iungatur vna primo corruptori, primo agenti; & inſimul, mutuiſq; viribus illis cooperãtibus, quid eadem efficiant, quod facere inualidum erat primum agens: quod probe cõſtat exemplis & doctrinis ex Hippocrate *ſuperius* adductis: Eapropter dato, quod febris acuta habuerit ſuas cauſſas, diſcretas, & ſeparatas à grauiditate, & fœtu corrupto (quod vſu euenire ſolet citra grauiditatem) nihilominus hoc nomine, his viribus erat febris tantummodo mor-

do morbus dubius,neuter,anceps: verùm accedentibus grauiditate,fœtus corruptione,& morte,& cum morte putrilagine,carie;incrementum accepit diræ febris libido, & effecta palam mortifera. Quæ cauſa igitur accuſanda? illa ſine dubio,qua ceſſante, ceſſat effectus,qua data,datur effectus;talis eſt grauiditas,ſeu partus improbus,qui in huiuſmodi actione nedum dux,&adiutor eſt;ſed etiam, vt ſic dicam, coactor. At dices, nonne dantur morbi acuti interimentes? dantur quidem: ſed rariores ſunt ſalubribus, niſi peſtilens vigeat conſtitutio,auctore Gal.*4.Aph.*43. Atque illi, dum accidunt grauidis,& enixis,nunquam euadunt tales,nunquam afferũt mortem ſine grauiditatis, & partus crimine: non ſtruunt, inquam, necem,non mouentibus vnà grauiditate, & partu: eapropter partus, & grauiditas, nedum vt calcar, ſed vt principale mouens in his criminibus ſummo iure omnium vocibus nominantur, incuſantur. Nam quemadmodum tempore peſtilentiali ſporadici morbi vitio aeris malefico, cuncta ſuis effrænatis viribus cogente, ex libidine omnia gerente,fiunt peſtilentes,& induunt cõtagione quadam habitum luis ſæuientis: ſic & non alio modo ægritudines grauidas, & enixas occupantes,vitio, & incommodis, quæ ſecum ferunt grauiditas, corruptio fœtus, ſeu etiam partus in ſpeciem legitimus, aſperantur & inflammantur, fiuntq; ſi non ideam, ſaltem morem mutantes,verè effectus praui,& ſoboles grauiditatis,ſeu partus. Si itaq; iuſta cauſſa imputanda,à qua reliqua pendent,quæq; & materiæ,& efficientis reſpectu diuerſorum vicem gerit, quæ opus perficit; neceſſe, vt conatus hic, mortis videlicet crimen grauiditati, & fœtus corruptelæ adſcribatur:quod enim morbum auget,fouetq;, & vnà corpus facit infirmum,quod plane præſtant grauiditas, & abortus, illudidem deſperationem ſalutis adferre dicendum; eoque libentius id affirmandum noſtro in caſu, quòd fœtus nedum corruptela tactus,id eſt,imbecillitate,& vitio aſperſus: ſed etiam mortuus, putreſcens,ſphacelatus in ventre matris ſecto adinuentus. Atque hæc mihi occurrũt dicenda pro ſolutione præſentis problematis, quod ſi quis aliter,aut curioſius velit ſcrutari,nec veto, nec diſplicebit; vt fiat illud Homericum, πλεόνων δέ τοι ἔργον ἄμεινον, hoc eſt,*melius multorum opus.*

Q 2

SECTIO QVINTA

In qua idem argumentum agitatur; ſed vniuersè, & ſimpliciter.

SI quis autem ſciſcitetur à me ſimpliciter, & abſolutè, atque extra rem noſtram, an prægnans, ſeu puerpera mulier poſſit vnquam morbo oppetere citra crimen grauiditatis, aut partus, ſeu corruptionis fœtus. Non poſſum fateri impoſſibile eſſe propter multitudinem, ne dicam infinitatem cauſſarum, quæ infenſæ mille modis eſſe poſſunt ſuo iure generatim corpori humano, naturæq; noſtræ alioquin lubricæ: Res tamen iſthæc cum rariſſima ſit, cum minus frequentes nimirum ſint morbi, qui in his periculis non trahant in coniurationem aduerſus ſalutem prægnationem, & partum, ſeu abortum, mirum eſſe non debet, ſi Hippocr. ſapientiſſimus, & cum Hipp. cæteri inſignes Medici incommoda & diſcrimina grauiditatis, atq; partus, ſed magis etiam ipſius abortus, partu grauioris, ſemper perſpectanr, cæteriſq; cauſſis euidentibus antehabēt. Nam pauciſſimæ ſunt mortes his caſibus, quæ (etſi in diuerſas vulgus ineptè retorqueat etiam externas cauſſas, vt in oneris in altum ſubleuationem, prægnantis eiuſdem percuſſionem, ſaltationem, vociferationem, prauitatem victus, timorem, & conſternationem, aliaq; paria errata) imputari tamen iure non debeant huic origini, huic principio; grauiditati nimirum, ſeu partui. Etenim illæ cauſſæ alioquin leues, vel mediocres edunt inſignem effectum ob diſpoſitionē materiæ, violato prius corpore grauiditatis ipſius & partus offenſis. Id enim eſt, quod aliàs tetigimus, & quod acriter diſputant recentiores aduerſus Scotum: videlicet agētem cauſſam validius actionem præſtare ob ipſius cum patiente proportionem, quam propter eiuſdem agentis maiorem vim, ſeu perfectionem. Et eſt acutiſſimi Auerrhois axioma. Quapropter in his periculis ſubiecti diſpoſitio; grauiditas nimirum, & partus erūt potiſſima cauſſa actionis, diſcriminis, periculi, mortis. Qua de re exſtat illud memorabile Hippocratis

cratis *7. Epid. Quibus prægnantibus ex caſu, aut conuulſione, aut plaga dolores moderatæ fiunt, in tribus diebus manifeſtè conſtat, an fœtum corrumpent.* Etenim, vt dicebat idem Hipp. *alio loco*, vulnera & fracturæ die tertia vel quarta ſolent recrudeſcere, *vbi igitur dies tertia nullas dolorum exacerbationes incipit afferre; ſed potius indolentiam parit, vulnera non ſunt, aut perquam exigua, quare abortus hac ratione non fiet.* Nam etiam prægnantes, quæ immanifeſta cauſſa infirmantur, & decidũt primis diebus grauiditatis, idque patiuntur ob copiam, vel qualitatem humoris aceruati ante grauiditatem, videntur mori vitio, & culpa grauiditatis, nedum abortus: quandoquidem prægnantes, iuxta philoſophi ſententiam *7. de Hiſt. an. aliàs cit.* cui ſubſcribit Plinius *lib. 7. cap. 6. & 7.* ſtatim à conceptu, à ſuppreſſione, ſeu imminutione cõſuetæ menſium purgationis, ægræ degunt, & ægrotantes ob incommoda grauiditatis, minus tuto curantur. Similiter ſi à partu naturali, ac iuxta rationem, præſcriptumque naturæ, in ſpeciem, ſeſe habente, quem Græci dicunt τὸν τόκον, ægrotet cauſſa externa atque inſigni puerpera, idque fit intra terminos & limites partus, ac puerperii (qui limites etſi incerti & vagi quodammodo etiam ſint, vt inquit Hipp. *lib. de Nat. puer.* & *lib. 1. de Morb. mulier.* pro diuerſitate partus, & naturæ; conditioniſq; puerperæ, rarò tamen, ſi fœtus fœmina exiſtat, vltra quadraginta duo dies extendũtur; ſi verò maſculus triginta duo, teſte eodem Hipp. cui conſentit Auic. *21. 3. cit. loc.*) Si, inquam, ægrotet puerpera; aut læſio & ægrotatio non erit notoria, & valens; aut ſi erit, erit, vt antea adnotauimus, cooperante partu ſua imbecillitate, ſuo languore, ſuis conditionibus, incommodis, & cooperante inſigniter; ita vt cauſſa diſcriminis, & conatus putetur vere ipſemet partus. Neque enim vt certum quodammodo conſtituimus tempus, ac terminum tum purgationis puerperii, tum ægrotãdi cauſſa, ſeu occaſione eiuſdem puerperii; ita & præfinitos, quod innuimus antea, iudicare debemus limites moriendi culpa eiuſdem principii ſeu cauſſæ: quoniam morbi, qui accidunt ex partu, nedũ acuti ſunt; adeo vt cuncti intra vigeſimam, vel ad ſummum quadrageſimam diem terminentur ſeu ad ſalutem, ſeu ad mortem; quod obtigit vxori tum Philini, tum Dromeadæ, & illi pariter mulieri, quæ decũbebat in mendacium foro (quas hiſtorias aliàs retigimus) ſed quandoq; etiam ſunt diuturni, & ita longa eorum progreſſio, vt ad mul-

tos menſes extendatur: ſic Epicratis vxor cum poſtridie à partu febre correpta eſſet, ſolum die octogeſima perfectè iudicata, & liberata eſt: Et mulier in Thaſo decumbens apud frigidam cum à partu purgatio minime facta eſſet, & febris acuta ipſam corripuiſſet, mortua ſimiliter eſt die octogeſima. Et filia Aedilis apud Ticomæū, quæ præter alia incōmoda grauiditatis, difficulter peperit, per duos annos male habuit. Vnde haudquaquā eſſe poſſum hac in re cum eruditiſſimo præceptore meo Hieronymo Mercuriali, qui *tom. 2. ſuarum Conſul. Conſul. 60.* credidit, mortes enixis contingentes poſt quadrageſimam diem, poſt præfinitū & aſſignatum puerperiis purgamentis tempus minime imputandas eſſe partus offenſionibus: quemadmodum pariter non adſcribitur vulneri mors illa, quæ euenit vulnerato tranſacta dicta quadrageſima die; Siquidem (vt mea fert opinio) impar eſt ratio vulneris, atque partus. Nam vulnus dum rectè tractatur à chirurgo, nec vllus alius error externus accedat; aut conſolidari, aut ſecurum reddi ſolet hoc quadraginta dierum critico ſpatio, quo ſeu intra quod omnis inflammatio ſedari, & conquieſcere conſueuit, auctore Hippocrate *6. Aph. 49.* Atq; nunquam fere vulnus ratione propria degenerat in morbum diuturnū: nec vulnerati periculo ſemel defuncti denuò in diſcrimē relabuntur ratione ipſius vulneris: Morbus autem, qui ſequitur ad incommoda grauiditatis vel partus, cum inſtitutus eſſe poſſit varia materia, diuerſis principiis à debilitatibus, ab incommodis mulieris fœtæ ſeorſim venientibus, varius ſpecie, idea, conſtitutione, & tempore durationis eſſe ſolet. Et ſicuti accidit cæteris morbis, ita & hi, qui culpa puerperii fiunt, quandoq; ceſſant, vel leuiores apparent, mox in deterius ingenti ruina, ſeu ob debilitatem corporis enixæ, ſeu ob variorum humorum congeriem collectam, vel excurſum ad partes principes labuntur, & multoties ex inopinato: Hinc vel mortes, vel diuturni morbi ex partu. Adeo vt quadraginta dies ſint quidē tempus & terminus, vltra quem non datur, nec incipit morbus ex partu, iam purgatione illa peracta, & nouo corporis vigore accepto, nō autem terminus mortis, aut iudicii morbi ab eodem periculo proficiſcentis: Et id eſt, quod in reſponſione ad argumenta contrariæ partis obiter aliàs innuimus. Illud etiam non prætereundum, Auerrhoem ſcilicet *4. coll. 40.* tanti feciſſe partus incommoda, & læſiones,

nes, vt voluerit inſuper in morbo, qui euenit poſt partum, ſeu editionem & expulſionem fœtus, per triginta dies, computationē dierum criticorum faciendam eſſe à die partus, cum partus ſit principium omnis motus. Cæterum ſi qua fœmina tempore prægnationis, ſeu partus moriatur peſte vera ſuperueniente, ſeu veneno vel exhibito, vel admoto, non dicitur interire ex prægnatione, vel partu: quoniam peſtis, ac venenum, etiam citra copulam grauiditatis, abortus vel partus, ex ſeſe damna mortifera ſunt, & cogunt inſtar tyranni materiam vel minus diſpoſitā, ac præparatam: Et propterea recte dicebamus *antea*, peſtilentiam & venena non ſpectare diſcrimina corporis; ſed æque imbecilla, & robuſta, æque grauidas, & nō grauidas, fœtas, & nō fœtas inuadere, violare, enecare ſolere; quod notabat etiam Seneca *lib. 3. de Ira.* Et accepit id Seneca, vt puto, à Thucydide, qui ait *in enarratione ſuæ peſtilentiæ: Et corpus nullum viſum eſt* αὔταρκες, par, *quod poſſet illi morbo reluctari,* ἰσχύος πέρι, ἢ ἀσθενείας: ἀλλὰ ξυνῄρει πάντα, i. *ratione roboris, aut imbecillitatis; ſed omnia tollebat corpora.* *Peſtilentiam & venena non ſpectare diſcrimina corporis.*

Pari pacto hydrophoba mulier, i. timens aquam, rabie (inquam) vexata, ſiue interna, ſiue externa cauſſa, poteſt abſque grauiditatis, vel partus iuſta culpa vel cauſſa in ipſa prægnatione, partuſq tempore perire; ſiue venenum contraxerit in eorū tempore, ſeu etiam diu ante grauiditatem: quandoquidem id venenum, auctore Galeno *6. de loc. affect. 5.* diu iners, & immotum, citraque ſuccorum noſtri corporis diſcordiam & ſeditiones per menſes, & annos non cognitum, non deprehenſum latere in eodem corpore, in tutoq; (vt ſic dicam) poteſt: ea propter ſi conſimili periculo decedat grauida, ſeu fœta mulier, erit ſine crimine, & culpa grauiditatis, vel partus. Et quod dixi de huiuſmodi tabo, idem atteſtari poſſum de quocunque alio pari, vel morſu feræ illato, vel eiaculato veneno. Sic, quæ inedia & fame, ſeu coacte, & penuria ciborum, ſeu ex propoſito, conſimiliter conficiuntur, pereunt prægnantes mulieres, dicuntur abſumi, mori citra culpam grauiditatis & partus. Ita quoque ſi vſæ ſint aere, qui citra peſtem conceperit in ſe venenatum vitium, nō cenſentur oppetere incommodis grauiditatis, & partus: quemadmodum pariter ſi ex fulmine moriantur, & ſuffocentur. Nam fruſtrà in actione culpatur minor, & debilior cauſſa, cum maior,

& valida, per ſe, apta eſt ad mouendum: cuncta enim pericula enarrata poſſunt non incommode mortem inferre ſine concomitantia, atque auxilio grauiditatis, abortus, vel partus. Cæterum quoniam noſtro in corpore generari poteſt venenum principiis internis nedum ſimile veneno hydrophobiæ; ſed par cuiuis alteri veneno exteriori, vt dicebamus *pauloante* ex mente Gal. propterea animaduertenda diligenter cuncta ſigna ægritudini primum, demum morti ſuperuenientia: nam ſi grauida alioquin ſana, valens, ac temperans in victu repente pereat primis diebus grauiditatis, eique ſuperueniant ſymptomata, & ſigna veneni, qualia *antea* narrauimus, illico ſuſpectandum de humore venenoſo: cumq; veriſimile ſit tale venenum genitum fuiſſe ante recentem, & inchoatam grauiditatem, cauſſaq; diuerſa à grauiditate irritatum idemmet venenum fuiſſe, ſitq; venenum huiuſmodi per ſe valens, & aptum inferendæ morti: propterea fruſtrà in conſimili caſu culpatur grauiditas alioquin nō perceptibilis, & inexplicata, necnon immunis à crimine, debiliuſq; ac viribus inferius mouens: ſed mors tribui debet fato, naturæ, id eſt, internis, & ſine aliena vi cauſſis. Non ſic autem in grauiditate progreſſa, cum hæc commode varia vi occaſionē præſtare coniunctæ morbi cauſſæ, ſeu veneno intus genito queat; & principium exitii validum conſequenter fieri: Quod ſæpius notatum.

Venenū poſſe in noſtro corpore gigni.

Verùm cum hæc cuncta plana, & conſpicua ſint, raroq; in controuerſiam poſita, illud valde dubium, an vi morbi acuti cum additamento, cum conditione, qui lethalis ſemper, & pernicioſus per ſe, ſeu ratione humoris putreſcentis, & non putreſcentis praui, ſeu ratione partis principis affectæ, dubium eſt, inquam, an queat fœmina prægnans, ſeu fœta mori nō culpata grauiditatis, ſeu partus preſſura. Nam alias diximus, acutas ægritudines cum additamento, veluti ſunt inſignes in ſuo genere, per ſe lethales eſſe abſq; alterius auxilio, ſine vlla dependentia; quemadmodum etiam cenſentur, teſte Hippo. 1. *de Morb. mulier. ſub initio*, hydrops, & tabes: verùm quoniam fere impoſſibile aut infrequens ſaltem, vt mulier hydrope, ſeu tabe implicita concipiat: ea propter dubium remanet ſeorſum de acutis in ſuo genere inſignibus: nam, qui acuti recidiuant, vel accedunt, ſeu ſuccedunt aliis acutis; vel ſenibus, & feſſa ætate fœminis primariò contingunt, & immiſcentur, vix, ac ne vix quidem, vt ra-

An prægnās poſſit vi morbi acuti cum additamento mori ſine culpa grauiditatis.

tio

tio dictat,& experientia palàm facit, prægnantibus,ſeu fœtis obuenire ſolent, non incuſatis tum habitu corporis priuato, tum imbecillitate adnexa his muliebris ſexus functionibus. Difficultas itaq; eſt de acutis inſignibus,quos aliqui nuncupant morbos ex toto genere mortales, qui quidem morbi cum accedunt grauidis, aut abortientibus, fœtiſve ex partu etiam ſecundo & tempeſtiuo, videntur propria vi,non ob aliud,non grauiditate,non partu iugulare patientes. Sic apoplexia fortis, vt perhibet Hippocrat.ſapientiſſimus *2.Aphor.42.*& *53.*ex ſeſe lethaliſſima eſt,& incurabilis in quolibet ſit corpore: ſimiliter ingens phrenitis, angina conſimilis, qualis eſt, quæ neque in collo, neque in faucibus quicquam conſpicuum facit: verum ſuffocationem vehementem, & ſpirandi difficultatem inducit, & eadem die, aut tertia occidit, vt dicebat Hippoc.*in Coacis prænot.in Progn.*& *alibi.* Peripneumonia item, in qua totus pulmo inflammatus vnà cum corde; & mortem affert ſecunda aut tertia die: Lethargus ingens, tetanus vltra quartam productus; ſyncope (quam Aretæus *libro de acut.3.* dicit vocatam eſſe à Græcis ὀξύκτονα: quaſi dicat citò iugulantem) ſunt ſæuiſſimi morbi, & ferè ineuitabiliter mortem citam afferentes: vt propterea ſuperuacaneum omnino videatur in horum, & conſimilium, ſi non ſpecie, ſaltem magnitudine ipſa, vel humoris prauitate terrificorum, & inter magnos eximiorum morborum conatibus, criminibus incuſare preſſuram,& incommoda grauiditatis, vel partus; cum homini necando ipſi per ſe ſatis ſint. *Morbi ſæuiſſimi.*

Res hæc certè difficillima eſt iudicatu,& ſoli Deo,non hominibus in toāt perſpecta,quod ſenſus noſtri aſſequi exactè non poſſint, qualis ſic habitus ſeu ſtatus corporis ægritudine detenti, & quales vires morbi: dicam tamen libenter,quid ſentiam. Ingentes effectus non producuntur, vt ratio ſuadet,& vt memoriæ proditum reliquit Gentilis Medicus ſubtiliſſimus *6.f.4.trac.4.cap.7.* & ante Gentilem Aponenſis *Diff.179.* niſi ex fortitudine cauſſæ agentis, & ſumma diſpoſitione patientis, quod tangens pariter antiquitus Hippocrat. *2.Epidem.1.*probe dixit:*poſitis duobus magnis orienda quoque ſunt magna:* quæ duo magna; præparatio ſcilicet ſuſcipientis, & vis efficientis raro inſimul coincidunt: imò raro etiam earum vna inſignis reperitur: & propterea peracuti morbi, ſeu inſigniter acuti, qui ſunt ef-

R

fectus magni, & miri haud crebro viſuntur: ſed rariſſimi ſunt. Quod ſi forte fortuna conſimiles horrendi & inſolentes morbi accidant grauidis, aut enixis, ſiue in autumno, tempore morboſo & lethalium ægritudinum feraci, ſiue extra autumnum, vix fieri poteſt citra culpam, abſque vitio, inquam, & opera grauiditatis, & partus, quæ ſtatum omnem corporis miſcent, & perturbant, quæque vario reſpectu, vt dicebamus, tum materiæ, tum efficientis principii in morbis procreandis & irritandis vicem ſubire poſſunt. Nam grauiditas, & parturitio functiones naturales ſi inculpatæ ſint, ſi congruæ, ſi mulieri item ſanæ, & robuſtæ accedant, vix exponere poſſunt corpus mulieris periculis, & læſionibus à cauſſa externa etiam vehementi venientibus; etſi læſio vlla accedet his caſibus mulieri haud erit notoria, dato, quod cauſſa talis manifeſta, & patens modum habeat, careatque vi veneni (Etenim venenati principii alia eſt ratio.) Id enim eſt, quod affirmabat palam Galenus, nimirũ occaſiones, ſeu cauſſas, quas Græci προφανεῖς vocant, *manifeſtas* non cedere effectus, non procreare morbum abſque corporis apparatu, qui apparatus ad morbum, ſi aderit in his periculis non erit ſine crimine grauiditatis, vel partus. Et quod dixi de morbis acutiſſimis, idem affirmare licet de ebrietate, quæ nunquam antegreſſu τῆς ἀφωνίας, i. *mutitatis* mortem grauidæ inferre valet citra crimen, & culpã eiuſdem grauiditatis: ſiquidem vt ſit ebrietas mortalis, requirit diſpoſitionem corporis: talis autem diſpoſitio ſolet eſſe in caſu noſtro effectus, & ſoboles grauiditatis, vt *antea* ſæpe notatum, quæ morborum & periculorum fomes & irritamen. Id ſpectans, vt puto, Gal. 5. *Aphor.* 31, merito dixit: *Si abſque febre alius quiſpiam morbus acutus fuerit, qualis epilepſia, apoplexia, conuulſio, tetanus; morbi tum magnitudini, tum vehementiæ par grauida nullo modo eſſe poterit.* Quare vt fiunt hi morbi ob imbecillitatem ipſius grauiditatis, ita quoq; propter illam eamdem, aliaque incommoda, ab eadem nexa & pendentia, minime ſuſtineri poſſunt; ſed neceſſe eſt, vt ſuccumbat grauida. Hanc eamdem pene rem tetigit prudens Arabs Auicenna *libr. 1. f. 2. d. 2. cap.* 1. his verbis; *Non omnis verò cauſſa, quæ corpori aduenit, in ipſum operatur: imò propter hoc tria ſunt neceſſaria, fortitudo ſcilicet ſuæ virtutis agentis: Et fortitudo virtutis corporis præparatiuæ, & poſſibilitas permittendi vnum tangere aliud tanto tempore, vt in tali, quale illud, poſſit ex vno proue-*

nire

nire operatio in aliud. Quod ſi mulier εὔφορος per initia grauiditatis, & grauiditatis probæ familiariorũ vitiorum expertis incidat in morbum peracutum, & ex ſui natura lethalem, & merito humoris coaceruati in corpore ex malo regimine, vel alia ratione, & ante initam grauiditatem, quod vſu euenire poſſe teſtabatur Gal. *loco cit: 5. Aphoriſ. 55.* Ego certè in conſimili caſû (quod de veneno pariter affirmatum) non ita facile culparem grauiditatem, cum cauſſæ morbi omnes palam ſint extra incommoda grauiditatis. Nam morbi duplicem habent generationis, & ortus ſui rationem, vt notabat pulchre Galenus *2. de Aliment. fac. cap. 6.* & *3. in 3. Epid. hiſtor. 4.* Quandoquidem inſtruuntur primum, ordiuntur, generantur, quod fit ſenſim, & longo tempore, ac præcipue incommodis, & imbecillitatibus corporis culpati, demum erumpunt, & ſe explicant, quod fit ſubito, & cauſſa, vt plurimum euidenti, palamque poſita: cum itaque cauſſæ morbi generatio fiat in caſu propoſito ante grauiditatem, & eruptio morbi contingat errore externo; grauiditas ipſa ſit recta, fomenta non præſtet, aut ſi præſtat, ſint leuia: eapropter probe minus in conſimili occaſione, atque euentu accuſari poteſt inita, & inchoata grauiditas: licet enim grauiditas exaſperet morbum, & ægritudinem grauiorem reddat: attamen cum cæteræ cauſſæ ſint valentes, iure culpa mortis in efficaciter mouentia, non in grauiditatem leue fomentum, & ſecundarium mouens referri debet: nam iam morbus ratione, ac vi cauſſæ materialis, & efficientis, cuiuſcunque ille ſit ſpeciei, præſupponitur ex ſui natura lethalis, & peracutus, ex maiorique parte ante inchoatam grauiditatem genitus, quæ grauiditas iuſtiſſima, & ab omnibus ſibi familiaribus vitiis immunis pariter præſupponitur: nam vbi vitia & tormenta ſolita accedentis grauiditatis ſeſe produnt, iam diximus culpari debere grauiditatem: ſed ſi cætera moueant antiquum humorem, qui procreet inſignem liquidò morbum; tunc incuſari non poteſt, niſi iniuſtè, incipiens, & recens grauiditas. Sed hi caſus, vt liberè dicam, ſunt rariſſimi, noſcendi tamen à Medico, qui cauſſas omnes morborum luſtrare, & perſequi, haſque ex euentis inueſtigare, & demonſtrare debet. Cautè tamen intelligendus Concil. *Differ. 106.* dum dicit, febres, quæ fiunt in prægnatione

recta, & poſt partum naturalem ex malitia regiminis, & vniuerſaliter ex quacunque cauſſa manifeſta in nullo pendere à grauiditate, & partu: Quoniam nunquam ægrotat in progreſſu tum grauiditatis etiam probæ, tum partus naturalis, minimeq; vitii vllius ſuſpecti mulier, quin id fiat eiuſdem grauiditatis, & partus incommodis & ærumnis, ſtatum corporis, & cōcordiam humorum ſemper perturbantibus: vnde Hippocrat. vt ſæpius animaduerſum, grauiditatem, & parturitionem in morborum procreatione omni tempore antehabet aliis ægritudinalibus cauſſis, illas, inquam, adſpicit ſolas, reliqua deſpicit. Neque quicquam officit, quod diſertiſſimus Gal. 2. *in 3. Epid. loco aliàs citato*, dicat, prægnantes, & fœtas poſſe cauſſa à grauiditate, & partu diſiuncta, & differente languere, & ægrotare: quoniam id, quod ibi affirmat Galenus, intelligendum, vt præmonui, de cauſſa procatarctica, & præincipiente, in aperto poſita, quæ ſola concutit quidem valetudinis ſtatum: ſed non euertit, quæ nunquam agit ſine auxilio, & conſenſu fomenti interni, quod fomentum ſæpe, ac ſæpius ſoboles, ſeu germen eſt grauiditatis, & partus. Id ſæpe ſic inculcamus, & exprimimus; quia in hoc conſiſtit tota difficultas propoſiti problematis; ſemper enim æſtimādus paratus corporis mulieris, ſi quid enim imbecillitatis, vitii, quod ſit pars, ac germen vel grauiditatis, vel partus, adhuc in ſe retineat talis paratus, omni tempore in procreatione morbi, omiſſa cauſſa procatarctica, illa quæ ſe habent ex parte paratus, meritò culpanda ſunt, maxime limitibus præſcriptis. Si quando igitur datur febris, ſeu, morbus peracutus citra crimen, & culpam grauiditatis, erit ſeorſum in caſu à nobis *ſuperius* expoſito, & admodùm infrequenti.

Aliud non ignorandum, quod quemadmodum grauiditas, vel fœtus monſtruoſi partus, & ſuperfœtatio item quæuis mulierib. inferunt nedùm paria, ſed maiora vltrò iis, quæ probi fœtus grauiditas, vel partus ſecum ducunt pericula; ſic mola etiam (quæ iuxta Philoſophi ſententiam *cap. 7. lib. 4. de Gen. an.* & vt Hippocrates meminit *libro de Morb. mul.* interdum durat quinque, aut plures annos: ſæpe autem quatuor menſes) efficit in fœmina inſtar naturalis grauiditatis, vel partus acutum morbum, ſuperuentu ſolitorum periculorum, ac ratione propria, grauem, pernicioſum, atque lethalem: Euadit enim ipſa mola veluti materies ſeu incitamentum morbi,

morbi, liberius etiam grauiditate naturali. Per molam autem intelligo carnem inutilem,& informem in vtero vi vtriuſque ſeminis licet debiliter, & imperfectè operantis genitam: Nam quæ mulier decedit hoc periculo, poteſt dici ex grauiditate, neque aliena deceſſiſſe: Et propterea in conſimili morte haud miti cenſenda locus eſt non incommodè ſuetæ exceptioni: non ſic autem, dum mulier perit cum vteri extenſione, vel meteoriſmo, vel præ copia flatuum, etiam menſium ſuppreſſione in ſocietatem accepta, vel ob eiuſdem vteri duritiem aut ſcirrhum, quas affectiones Aetius, Paulus, Rhaſes, & Auicenna comprehenderunt ſub nomine falſæ molæ. Quæ enim mulieres vi conſimilium morborum pereunt, non videntur mori grauiditate, grauiditatiſque calamitatibus, & iniuriis; ſed citra vim, & ex fato: quoniam ad horum morborum generationem non concurrit ſemen vllum; vnde non adeſt conceptio, non grauiditas; niſi euanida; deſideraturq; vis illa ſeminis aliena.

Imò ſi daretur etiam conceptio vlla ſpuria, & morboſa abſque initu; citra ſperma, inquam, viri, ex ſpermate vno mulieris, & ſanguine menſtruo, vti ſuſpicati ſunt Plinius, & Auicenna; (de qua re ambigo, neque inquiro) talique conceptione, ſeu grauiditate, inſidioſam, variam, fallacem pariter reddente valetudinem, obnoxia mulier mortem obiret, dicenda eſſet mors (me iudice) violenta, & non ex fato; quòd morbum ſcilicet, ſeu cauſſam morbi architectatum ſit, & fabricauerit, ſecus ac in aliis euenit familiaribus morbis, ſemen fœcundum mulieris, inteſtinum quidem principium; ſed alienum, & inſuetum.

Eſt tandem difficultas (omnia enim aut peruadit aut tentat noſtra curioſitas) eſt, inquam, difficultas, an mulier correpta febre, ſeu alio morbo culpa partus; decedatque morbus, ſeu ſoluatur & vale dixiſſe videatur intra limites quidem eiuſdem partus; ſed prope finem: valeat nimirum mulier, exeat domo, & alia munera ſanorum obeat; deinde, ſeu elapſo verè, ſeu non elapſo termino partus, & puerperii, reuertatur morbus, & morbus euadat lethalis more recidiuæ, (quæ ſemper ampliſſimo tum Hipp. *lib. de Affect.* tum Auicennæ teſtimonio *lib. 4. f. 2. tract. 1. cap. 20.* peior eſt ſua radice) ægramque in perniciem ducat talis recidiuus morbus, quæritur, inquam, an

Recidiuam eſſe peiorem ſua radice.

An recidiua in pragnante ſit imputanda partui, nec ne.

talis mors imputanda ſit partui, necne. Ex vna parte enim non videtur iure adſcribenda partui: quoniam mors euenit extra limites partus, non accerſita à partu, & eſt effectus pariter morbi ſuborti, partu exacto. Ex aduerſo autem cum ſecundus morbus, ſeu alius, in quem recidit fœmina (nam aliquando nedum ſecundus, ſed tertius, & quartus datur morbus, de quibus omnibus eadem eſt ratio) ſit ὑποστροφώδης, vt nuncupatur ab Hippocrate, ſit recidiua, & veluti pars, ſeu germen, atque propago prioris ægritudinis: eapropter vtriuſque par, & vna videtur materies, origo, atque cauſſa. Etenim recidiuus, ſeu reuertens, renaſcens morbus ὑποστροπικὸς fit iuxta tum Hippocrat. tum Galeni ſententiam *2. Aphoriſ 12.* ex reliquiis prioris morbi in corpore relictis, ex humoribus non conſumptis in antecedente morbo, ex ſuperſtite morbi materia, & empyreumate, ex debilitatibus corporis eiſdem: & quemadmodum prioris exacti morbi cauſſa putabatur partus, ſic erit & poſterioris. Veritas

Reſponſio.

hæc eſt. Si morbus anterior perfecte ſit ſolutus; maximè criſi; extincta ſint nimirum cuncta ſymptomata, actiones mulieris à morbo perfecte viguerint, ſpatium, quod eſt inter vtrumque morbum, ſit multorum dierum, morbus ſecundus non eſt adſcribendus partus offenſionibus, ſeu detrimentis; & eo magis, ſi poſterior diſſimilis ſpecie & idea ſit à priori, habeatq; nouas cauſſas in aperto. Nam etiam vulnerati, qui ſemel iudicio peritorum Medicorum tuti & ſecuri habiti ſunt, ſi nimis cito exeant domo, deambulent, vel aliis erroribus conciant morborum cauſſas, & paulo pòſt moriantur, etiam intra ſpatium quadraginta dierum; non putantur mortui culpa vulneris, & vulnerantis, ex communi Iuriſprudentium ſententia, ex ſcitis Medicorum dempta; ſed mors imputatur nouæ cauſſæ aduenienti. Secus autem erit, noſtro in caſu, ſi proximi ſint morbi (nam celeritas ſecundi morbi, auctore Auicenna *loco proxime citato cap. 95.* quò maior, eò magis morbus ſapit naturam recidiuæ, & antecedentis ægritudinis) ſi item paris ideæ, & naturæ fuerint ambo morbi, ſi iuncti nexu quodam, & perpetuitate ſymptomatum, ſintque huiuſmodi ſymptomata communia & familiaria vtrique morbo: Imò vna harum conditionum multoties ſufficit ad probandum, ambos morbos ab vno fonte pependiſſe: ὑποστροφαὶ enim fiunt κατὰ τ̃ αὐτῶν, hoc eſt, eodem modo, typo ſimili, æquali periodo,

riodo, paribuſq; ſymptomatibus cum antecedente morbo; præindicanturque multoties vel importuna exacerbatione, eruptione, quæ loco non fit, vel præpropera excretione. Summa itaque, & deciſio rei hæc erit: Si maior vis ſit ex parte præparationis corpo[ris], præparatioq; ſeu baſis vltimi morbi putetur ſoboles partus; debet morbus ſecundus, vti prior & radix, adſcribi partui: Si maior autem vis exiſtat ex parte τῆς προφάσιος, i. *cauſſæ incidentis*, hæc, partu inſonte prætermiſſo, culpanda. Probe & ad rem dicebat Auic. *f. 2. 4. trac. 1. cap. 96. Saluior eſt recidiuatio errore regiminis veniens, quàm vt veniat per ſe cum rectificatione regiminis.* Et ſaluior eſt talis recidiuatio, quoniam minus verè ſapit naturam iuſtæ recidiuationis, & antecedentis (qui ipſius partus, vt in re noſtra perſiſtamus, effectus & ſoboles, putabatur) morbi: Sicuti econtrario euenit illi recidiuationi, quæ ſponte & ſymptomatũ paritate ſubſequitur priori morbo, & imbecillitati corporis, velutique ſuccedanea exiſtit. Nam alias diximus in morbis, & læſionibus corporis æque culpari ſolere materiam, ſeu materiæ diſpoſitionem, atque efficiens principium: quod materia ſæpe ac ſæpius moueat & ipſa quodammodo; quemadmodum ex aduerſo manifeſta, & procatarctica cauſſa nonnunquam pariter, cum ingẽs & valida exiſtit, cogit ſubiectum aut parum, aut nihil diſpoſitum. Vim materiæ attingens quandoque Hippocr. merito dixit τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα μετὰ κρίσιν ὑποστροφώδεα: quaſi nulla cauſſa externa, ſeu mouens deſideretur, vbi eſt aptitudo materiæ: & eſt ſimile illi, quod notatum eſt ex Auicenna: Res noſtra itaque ita ſe habet, ſi recidit puerpera, culpatur partus; ſi incidit, non ita: vt plurimũ tamen recidit; cùm illi ſanitatis loco ſit leuior acceſſio: Vnde ſi non attendit, ſubinde grauatur, & in eadem reuoluitur.

Cùm itaque indifferens, & ambiguum quoquo pacto ſit huiuſmodi negotium vniuerſim, & confuſe ſumptum; reſque naturæ multum ſic habeant caliginis, probe ſe gerunt Iureconſulti, qui in conſimilibus difficultatibus Medicos conuocant, ipſoſq; de euentu, & re omni præterita conſulunt, ſingulorum ſententiis requiſitis. Tritum enim eſt illud noſtrum axioma, in medica arte, in corpore humano, veluti in mundo, accidere monſtra, & admiranda, ex peritis in arte noſcenda: *dantur nimirum priuati caſus, qui non continentur ſub vniuerſalibus profeſſionis noſtræ præceptis, & theorematibus:*

Propter quod aptiſſime dicebat bonus Arabs Auic. *1. 4. cap.* 3. morborum & mortis effectus, morbi cauſſas nonnunquam eſſe occultas,& imperſcrutabiles; id eſt,non facile agnoſcibiles.

Et hæc ſit mea hac de re ſententia è veterum monumentis,imò ex ipſiuſmet naturæ ſinu pene decerpta, atque inſtar facis ad ſocietatum officiorum contractus æſtimandos diiudicandoſve cunctis ſic prælucens, iuxta quam, auxiliante, & cooperante vnà iudicum Vrbis inſigni iuriſprudentia, congruam illi ipſi poterunt, & in caſu propoſito, & in conſimilibus, qui quotidie occurrere poſſunt, non incommode ferre ſententiam. Et hoc ſaltem fine, Lector, Scriptionem ama, aut æſtima: & me quoque, ſi quid lapſus ſim, aut titubaui, excuſa. Per tenebras & ſalebras quodammodo iui, per viam fere inuiam: & vetus illud liceat prætendere:

Nullum ſine venia placuit ingenium.

* * *

EIVS.

EIVSDEM HIERONYMI PERLINI,

DE CAVSSA GRAVIDITATIS ABORTVS VEL PARTVS RESCRIPTVM

AD AMICVM REM IN DISPAREM SENSVM TRAHENTEM,

SEV

SOLVTIO QVORVNDAM ARGVMENTORVM.

VIDI tuam DE MORTE cauſſa grauiditatis, abortus, vel partus DISCEPTATIVNCVLAM; & ſanè doctam, quam mihi humanitate & benignitate tua ſolita, etſi priuatim ea ſcripta ſit, obtuliſti legendam; vt de more in ſtudiis auxiliemur inuicem & iuuemus: In illa enim ipſa rem liberè ferè nobis, in priori Diſputatione, aſſertam nedum mirè coarctas, & adducis; quin pauciſſimas pene mortes putas, ſecus ac nos determinauimus, fœmineo ſexui cõtingere ob incommoda & pericula grauiditatis, aut abortus, vel iuſti partus; *iuſtum* dico, prout contradiſtinguitur ab abortu, tempus legitimum partitudinis anteuertente. Vnde iuxta tuam opinionem exceptio illa, quæ paſſim hiſce temporibus adponitur in ſocietatũ officiorum contractibus, tangitq; prægnationem, & partum, rariſ-

ſime locum habere poterit; cùm tamen communis tum Medicorum, tum iudicum & legislatorũ Vrbis conſenſus nullas pene prægnantium, & enixarum mortes excipiat, excludatque à dicta exceptione, præter eas quæ fiunt ipſiſmet abortiẽtibus, & puerperis validiſſima, ac venenoſa cauſſa externa. Et quoniam, vt tu quoq; prudentiſſime aſſeris, & nos pariter aliàs tetigimus, res controuerſa, etiam *ἁπλῶς ſimpliciter*, in vniuerſum, ac nulli caſui, euentuiq; priuato applicata, non pauci eſt momenti, *ob damnum & intereſſe* (vt Iuriſperiti loquuntur) partium, quarum ſæpe in re eſt: eapropter ne quid Reſpublica capiat detrimenti, diligenter & ſerio veritas inquirenda. Et quamuis (doctiſſime vir) quæ nobis & cæteris, qui eiuſdem ſunt ſententiæ, Scriptione tua iniicis & obiicis, non multi ſint roboris, ac commodè ex aliàs traditis ſolui & reiici queant: nihilominus & quia ſic tu pariter exoptas, neve quis ſilentium meum in conſenſum ducat, & credat approbata, quæ non videt refutata, ideo reſcripſimus: ſed breuiter, quietè & abſq; vllo animi motu, vel litigii prætextu; res enim cum amico eſt, ideò plane amicè agendum; & vt Pindarus dicebat,

> Εὐώνυμον εἰς δίκαν τρία ἔπεα διαρκέσει:
> *Iuſtam ad cauſſam tria verba ſufficiunt.*

DISCEPTATIVNCVLA tua (ſic libet eam nominare, quoniam, vt tu ipſe profiteris, illa ipſamet deſinit in adſertionem, opinionem, probabilem ſentẽtiam) vt ordine & methodo quadam progrediamur, videtur in tres partes, quamuis non interciſa cont nuatione, diſtributa. In priori parte, more Latinorum & recentiorum, nonnulla fundamenta rei, de qua diſputatur, iacis: hoc eſt, argumentum propoſitum explicas, diſponis & aptas ſenſui tuo mox efferendo; tibi, inquam, viam ſternis ad eligendum. In ſecunda colligis, eligis tuas concluſiones, ſeu axiomata, ac vniuerſe ſtatuis, quo ducebant illa tua fundamẽta, raro grauiditatem, abortum, vel partũ euadere veram cauſſam exitus, ſeu mortis enixarum, vel fœtum corrumpentium mulierum: Idque probas tris argumentis opinionem & ſententiam noſtram, ſi non deiicientibus, ſaltem cõcutientibus, & falſa ſpecie perturbantibus. In tertia, & vltima parte conaris euertere noſtra principia, fulcra, inquam, diſputationis ſeu fundamenta: ſoluis nem-

uis nempe rationes & argumenta, atque vnà ipſas Hippocratis, Galeni, cæterorumq; Scriptorum auctoritates, in ſubſidium noſtræ opinionis adductas, in contrarium trahis, ac propoſito tuo, licet forſan arbitraria interpretatione, accõmodas, & aptas. Ego percurram quidem omnes partes; ſed leuiter fundamenta, & concluſiones, vtpote quæ parum, aut nihil officiant rei noſtræ, attingens, totus verſabor circa obiectiones & argumenta: & potiora ſeligens, ea, pro viribus; pace tua, qui ſic imperas, excutiam, diluam, & falſa eſſe aut fallacia oſtendam, cum his enim ruent vnà fundamenta, & maior pars ſtructarum concluſionum. Atque hinc ordiar.

In tertio tuo fundamento notas, tanquam verum & animaduerſione dignum, puerperia ipſa ſupprimi, & retardari poſſe non modo ob partus labores & incommoda; ob vitium item ſanguinis; quin multis aliis erroribus, ad res non naturales Medicis dictas immediate ſpectantibus. Quo dato & conceſſo, infers poſtea in morte à partu, quæque ſit intra limites, ac tempus præfinitum puerperiorum purgamentorum poſſe multa alia culpari, præter partum, & prægnationem; & ſic conſequenter dari mortem in partu, quæ adſcribenda minime ſit partui, vel grauiditati, ſecus ac nos, contrariam opinionem ſequentes, conſtituimus. Cui primæ obiectioni (vt priuatim ſic vnicuiq; argumento reſpondeam, ne confuſio fiat) occurrendum hoc pacto: nimirum cauſas externas τὰς προκαταρκτικὰς, i. *antegredientes*, primitiuas, quarum genere comprehendo etiam animi accidentia, & diætæ errata, nõ agere in corpus humanũ, progreſſus haud facere citra conſenſum, & conſpirationem internarum cauſſarum; idq; palam faſſus eſt Galenus *variis in locis*, præcipue vero 1. *de Diff. feb. 6. 3. in 1. Epid 19.* & *3. in 2. ægroto octauo.* Qua de re fuſe nobis actum *in priori Scripto*, quod Diſputationem indigetaui. Cauſſæ autem internæ noſtro in caſu nunquam validæ ſunt, & præpotentes citra culpam grauiditatis, & partionis, quæ miſcent humores, & omnem corporis ſtatum perturbant, quæq; vultu ſæpe benigno ſæuum quid, & infelix cel[a]nt: Videntur enim planæ, & naturales, cum tamen crebrò vitium lateat, & multoties minime præindicatum; etiam à rigore ante partum apparente. Plura pariter à me cape hac de re in dicta Diſputatione.

Arguis ſecundo contra noſtram opinionem; id agis in prima

concluſione (ſic ſaltuatim progrediar, prætermittens plana, & in nos non directa) & quia argumentum bimembrum eſt, ſeiunctim vnicuique membro reſpondebo; Appingam tamen totum argumentum, vt magis eiuſdem vis & robur primùm appareat, demùm enodatio. Ais.

Non ſemper vtero gerentes, quæ morbo acuto laborant, & ex quo moriuntur, veniunt iudicandæ, quod obierint cauſſa grauiditatis: Probatur, quia ſi geſtatio alui eſſet cauſſa interitus, quando grauida tenetur morbo acuto, id eſſet, vel quia remedius priuatur, vel quia fœtus ante mortem matris moritur, cuius mors eſt cauſſa interitus matris. Primum dici non poteſt, quia vtero gerentes ſunt purgandæ, ſi materia turgeat à quarto menſe vſque ad ſeptimum 4. Aphor. 1. Tolerant ſanguinis miſſionem, quando valentes ſunt, ex Corn. Celſo lib. 2. cap. 9. Tenuis autem victus non ſemper in acutis conuenit, & ſæpe eſt periculoſus, 1. Aphor. 4. Secundum non ſemper eſt verum; cum conſtet experientiâ, fœminas, quæ gerunt vtero, mori ex apoplexia, angina, præfocatione, & aliis de cauſſis ante fœtus mortem, cuius ſignum eſt certiſſimum, quod venter remanet calidus, & percipitur fœtus moueri, & ſi hic erat maturus, celebrato partu Cæſareo, extrahitur viuus, & viuit non ſecus, ac in partu naturali, & conſequenter interitus matris non poteſt attribui morti ipſius fœtus.

Morbum acutū ob grauiditatem fieri lethalē.

Priori itaque ratiocinationis tuæ membro ſatisfaciens, dico τὰ ὀξέα νοσήματα, i. *morbum acutum* ex ſui natura, abſque vllo conditionis, vel habitus, & ſtatus corporis languentis diſcrimine eſſe κακὸν, κίνδυνον, vt dicere ſolitus eſt Hippocrates, *periculoſum*: minãtur mortem huius generis morbi, quod æquiualet illi *1. Acut. text.* 8. κτείνουσι ob annexam vero grauiditatem fit acutus morbus θανάσιμος *lethalis*, maius diſcrimen acquirit. Id porro euenit, nedum quia ægre, merito ipſius grauiditatis, curetur; ſed etiam propter alias cauſſas, quas tu hic prætermittis, & ſilentio inuoluis: Vnde fallacia eſt in argumento, quod diſiunctim colligas, & adnumeres, quæ nectenda erant ſtruendæ & firmandæ iuſtæ argumentationi: Siquidem Galenus ſecundus poſt Hippocratem in medica diſciplina auctor, *loco illo 5. Aph. 31.* ait, morbum acutum eſſe lethalem, & ipſo ſenſu talem deprehendi in prægnante, non modo propter curationis difficultatem, obuiam ſeſe præbentem in grauida; quod grauiditas nimirum aut reſpuat, aut libere nõ admittat valentia remedia, ſanguinis miſſionem,

Morbi acuti cur in prægnantib. ſunt lethales.

ſionem, purgationẽ, & tenuem diætam; verum etiam inſuper, quoniam ipſa eadem grauida propriæ imbecillitatis, ſtatus, conditioniſque ſui corporis ratione impar ſit magnitudini, & vehementiæ morbi talis; etiam citra febrem. Plana ſunt verba illius *ἅμα τῷ μεγέθει, ἐν τῇ συντονίᾳ τοῦ νοσήματος, ἀδυνάτον ἐξαρκέσαι τὴν κάμνουσαν*. Pręter quod purgari quidem grauidæ poſſunt; at non omni tempore, & indifferenter: ſed à quarto menſe vſque ad ſeptimum, materiaq; ipſa turgente; quod tu quoq; ex Hippocratis decreto adnotas; etſi prætermittis poſtea, quod vim detrahebat ratiocinationi tuæ: nimirum rarò materiam turgere, ſic dicente eodem Hippocrate, *τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ*, i. *plerumq; tamen non turgent*; materiæ ſcilicet morborum & humores: Imo addebat *alio loco*, quod rei facit. *Mulieri vterum gerenti ſi aluus multum fluat* (quod purgatione præſtari ſolet) *periculum eſt, ne abortiat*, atq; id exitio poſtea eſt ipſimet matri. Sanguis etiam minime tuto mitti ſolet. Audi tuum Hippocratẽ, *γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει*, *mulier in vtero ferens, ſecta vena, abortit.* Addit, *idq; magis, quò fuerit fœtus grandior.* Ad Celſi auctoritatem dico, poſſe valentes grauidas ferre ſanguinis miſſionem; ſed parca manu factam, & quæ non ſit tollendo, vel coercendo magno morbo. Et ſi ferunt ſanguinis miſſionem, forſan eodem tempore, aut paulo poſt admittere tuto haud poterunt purgationem, & ſimul vna tenuem victum; cuncta æque; licet impari ratione, corpus deplentia, extenuantiaque; ac vno & eodem morbi tempore acutè laboranti ſæpe neceſſaria præſidia. Et dum affirmas, mi Doctor, tenuem victũ crebro periculoſum eſſe in morbo acuto, aut fallaciam ſponte pariter ingeris, aut animus tuus diſputationi innixus, & addictus hic caligat, nec veritatem liquidò cernit. Quandoquidem quod cum diſtinctione, & delectu monet, ac perhibet Hippocrates ſapientiſſimus, tu illud idem abſolute, *ἁπλῶς ſimpliciter* pronuncias. Sunt plures gradus morbi acuti: Sunt & varia tenuis diætæ genera: ſi vterq; morbus acutus, & tenuis victus ſumatur ac æſtimetur in vniuerſum, & genericè, falſum omnino eſt, nec ſcitis Hippocratis cõgruum, tenuem victum exiſtere periculoſum in morbo vere acuto, data cæterorum paritate. Vti enim plenus victus eſt ſanorum; & mediocris ſenum, conualeſcentium, ac præcipue diutino morbo afflictorum; ſic tenuis accõmodatus acutis, qui magni ſunt, & cele-

riter ad ſtatum perueniunt. Verùm ſi vterque iterum ſumatur particulariter, & diſcriminatim, multa victus tenuis genera dantur, quæ inaccommodata, imò periculoſa cenſentur, & obſeruantur in morbo acuto; cum vnicuiq; gradui morbi acuti præſcriptũ ſit ſuum priuatum diætæ tenuis genus, quo rectè tractatur, vti à reliquis palam irritatur & augmentatur. Eſt itaq; periculoſus tenuis victus in morbo acuto, grauidæ affixo, non ratione morbi (nam is non alium victum expoſcit; dummodo diſcrimen adhibeatur) ſed propter grauiditatem; ſiquidem longiore inedia, qua ſæpe conſtat victus tenuis, fœtus in vtero necatur, alimenti defectu. Periculoſus eſt; imò lethalis in grauida morbus acutus, & quia is ægre curatur, quod eſt, eſſe lethalem ex euentu, & quia ipſamet grauida impar magnitudini, & vehementiæ morbi acuti; *μετάστασιν* ad locos facta humoris morbifici; vnde aborſio, quod eſt, eſſe lethalem, per ſe; quod vltimum & præcipuum tu omittis, vt roboris aliquam ſpeciem præferat tua ratiocinatio. Addam ipſe, non modò ob prædicta acutum morbum lethalem euadere, & cenſeri; verùm etiam quia ipſa *τῆς συστάσεως constitutionis* grauiditatis conditio, prægnantium conſequa, nouis cauſſis, exaſperat (neſcio an dicam per ſe, an ex euentu) languorem, auget & intendit. Morbus itaque acutus, grauis & periculoſus antea, grauior, & periculoſior obſeruatur grauidæ affixus. Et tuus Celſus, quem citas admittentem ſanguinis miſſionem in valente grauida, nonne dixit, Hippoc. ſuum præceptorem æmulatus. *Mulier grauida morbo acuto facile cōſumitur.* Quia vidit, & agnouit prænarrata pericula. Præcipitat itaque miſeram fœminam grauiditas, accedens, & immixta morbo acuto. Duæ ſunt cauſſæ, ob quas præcipitat grauida, vel puerpera, acuto morbo iactata: Cauſſa prima, & motio plerumque à morbo acuto eſt: ſed extrema, & efficax maxime à grauiditate, abortu, vel partu: Nam ille tardus, anceps, vel, vt ſic dicam, inaudax, inefficax, niſi armetur, vim, robur ſumat ab iſtis, & eo modo, quo aliàs monui.

Tenuis victus & morbus acutus cur in grauidis periculoſi.

Aliud tui argumenti membrum erat, quod vtero gerentes poſſint mori ex apoplexia, angina, præfocatione, fœtu ipſo ſuperuiuente, incolumi, ac ſuperſtite; cùm, ventre exſecto, prodeunt Cæſones, Plinio dicti. Poſſunt mori, non nego, & vbi deeſt planus abortus, vel partus, culpa adſcribitur grauiditati incommodæ; quæ & ipſa

ipſa pariter periculis & neci obiectat mulieres; & ſæpe obſcura ratione. Et ſic mulieres ſi non in abortu, vel partu; ſaltem in grauiditate, & ex grauiditate occidunt: Quanquam Latini ſcriptores, mi Doctor, partum etiam appellant fœtus difficilem ac impeditam expulſionē: Vnde fœtus deformitas, mala conformatio; vel inuerſus ſitus, & egreſſus, ſæpe cauſſa nouiſſima ſunt difficilis partus, & vnà mortis matris; quę in ipſo partus inani & irrito conatu, occidit. Quo loco notandũ pariter penes Hiſtoricos, & eos, quibus id vnum ſolum cordi eſt, narrare & repræſentare res, vt fiũt, ſæpe particulam, & præpoſitionem, *in*, parem vim habere, atq;, *ex*: Vnde dicunt mortua eſt *in* partu reſpicientes tempus & occaſionem mortis, & negligentes cauſſam; cum reuera fuerit in partu, nedũ velut tempore, & re denominatiue (vt dicunt) narrata; ſed ex partu etiam velut principio & cauſſa: Nã partus molimini & difficultati matris mors conſequa eſt. Galeni interim rationē mortis grauidarũ ad memoriam reuoca. *Moriuntur*, ait, *quia impares ſunt magnitudini & vehementiæ morbi.* Et moriuntur; etiam non tentata fœtus expulſione. Nec cauſæ procatarcticæ efficaciter mouere poſſunt citra fomentũ internum, quod ſoboles & germen grauiditatis, vitia corporis mille modis adiuuantis. Non enim ibi conſiſtunt læſiones, & vitia cauſſæ procatarcticæ, vbi primum recepta ſunt; ſed tranſeuntia in lubricam, vt ſic dicam, & fragilem grauiditatem latiſſime euagandi ſibi viam in corpore faciunt. & vbi ſemel recto, in his caſibus, deerratũ eſt, in præceps peruenitur, nec periculo obſiſti poteſt propter rationes dictas. Tranſeo, planis miſſis, ad quintam concluſionem; & dabo hic pariter verba tua, vt magis vis tum rationis per te adductæ, tum ſolutionis meæ appareat, & ab vnoquoq; æſtimetur.

Quinta concluſio. Quamuis vtero gerentes capiantur à mortis acutis, ex quibus moriantur, nõ ſemper tamen mors debet attribui grauiditati; ſed multoties morbo acuto. Probatur. Non minora mala per ſe poteſt cauſſare interna cauſſa, cum qua nihil habet commune grauiditas, quàm faciat cauſſa externa: nec minus illa, quàm hæc eſt interitus cauſſa: ſed vtero gerentes poſſunt obire diem, per ſe, à cauſſa externa, nempe à fulmine, veneno, ebrietate, & huiuſmodi, vt hactenus probatum: Ergo pari ratione poſſunt, per ſe, mori à cauſſa aliqua interna, vt eſt morbus acutus. Quod cauſſa interna, vt eſt morbus acutus, poſſit per ſe interficere, patet experientiâ: nam ex morbo acuto et-

iam non vtero gerentes intereunt; & conſequenter mors nihil à grauiditate acquirit, niſi ſubiectum magis aptum, quod non officit, vt mors debeat referri in id, vti in cauſſam efficientem mortis; quippe idem ſecundum idem non poteſt eſſe agens, & patiens: Aptitudo autem ſubiecti dicit paſſionem, quæ fit non à ſubiecto, ſed in ſubiecto per cauſſam efficientem, quæ in caſu, de quo agitur, ſine dubio eſt morbus acutus. Secundo quod eſt cauſſa, per ſe, alicuius effectus, nempe vitæ, ſi coniungatur cum cauſſa producente effectum contrarium; nempe mortem, nunquam huius effectus contrarii poteſt dici cauſſa, per ſe: Ignis enim, qui per ſe calefacit, ſi coniungatur cum re frigida, nunquam per ſe erit cauſſa frigoris. At geſtatio alui per ſe ordinata eſt ad vitam, ergo coniuncta cum cauſſa, quæ poteſt facere mortem, non poteſt per ſe dici cauſſa mortis; & conſequenter grauiditas coniuncta cum morbo acuto, ex quo fœmina intereat, nunquam per ſe venit dicenda cauſſa efficiens mortis.

Hoc pariter argumentum multiplex eſt, & varium, & membratim reſpondens, nego ante cætera illam priorem propoſitionem, qua ais, nõ minora mala præſtari poſſe à cauſſa interna, quàm ab externa: Idque iure nego, ob diſparitatem ſæpe cauſſarum internarum, & externarum: ſiquidem hæ crebro veneni vim & rationem habent: Et cum tales cauſſæ accedunt prægnantibus, ipſæ quoque ſolæ incuſantur, grauiditate inſonte & immuni prætermiſſa: Sed demus etiam vel internas cauſſas veneni rationem parem cum externis habere, vel eas viribus & efficacia non præualere, nec ſuperare internas: Dicam tamen, internas cauſſas eſſe tales ope, & fomento deprauatæ grauiditatis, coadiuuantis, imo cogentis, miſcentis cuncta, turbantis: Vnde grauiditas non erit extra culpam, ſi ſerio rem examinas, & attendis. Et huiuſmodi argumentum fuit tactum & ſolutum in emiſſa iam Diſputatione. Stante enim grauiditate, haudquaquam poteſt dari cauſſa interna morbifica, cui nihil commune ſit cum ipſa grauiditate. Enimuero ſi humor prauus aceruetur in corpore mulieris grauiditate implicitæ vel ob malam corporis diſpoſitionem innatam, ſeu aduentitiam, vel ob victus errata, quòd liberè nimis omnia fecerit grauida, vel ob intemperatam temporis conſtitutionem, vel ob hæc omnia ſimul; corrumpatur idem humor, deleteriam vim nanciſcatur: Attamen grauiditas non eſt immunis à crimine putanda, cur? quia languorem, incommoda addit, & imponit corpori; ſanitatem κατὰ σχέσιν, vt loquuntur,

quuntur, cõſtituit, quam leui cuilibet cauſſæ morbificæ obnoxiam agnouit Gal. 5. *de San. tuen.* 4. Et propterea Fernelius, vt aliàs adnotauimus, dicebat, grauiditatem ad omne genus morbi procliuitatem. Plato apud Gal. volebat & ipſe grauidas ob languorem, imbecillitatem, lubricitatem valetudinis priuata victus ratione tractandas eſſe. Vitruuius addebat, mulieres grauidas nunquam præſtari ſanas, neque pariter in venalibus integras exhiberi: Hinc palleſcunt, teſte Hippocrate, cuius euentus ratio eſt, quod grauidarum multum à ſe mutata eſt ſpiritus, & nutricatus œconomia, multum etiam complexio corporis iam minimum perſpirabilis, tum quia excrementi copia exiſtit. Eſt itaque materies morbi grauiditas; ſed ita materies, vt dicatur vnà efficiens, & principale mouens, quòd tales euadant humores in corpore, ratione ipſius grauiditatis, acervati; atque vltro ſeu à ſemetipſis effrænatis, ſeu qua alia cauſſa externa permoti. Nam quemadmodum quartana febris, vti & pertinax lienis tumor ſæpe incuſantur in morte orta ex hydrope ſuccedaneo prædictorum morborum, ſic nos non alio modo ream agimus grauiditatem in morte orta ex morbo acuto accedente, & ſeſe immiſcente veluti ſuccedaneo affectu ipſimet grauiditati, ſemiægritudini aſſertæ, & cognitæ. Volens, agnoſcenſq; omitto quædam: nam quis finis ſit? & paritatem, & alias dicta fugio, atque ex iis tædium.

Pregnantes cur palleſcant.

Grauiditas an & quomodo ſit materies morborum.

In altero argumenti membro eſt *Σοφίσμα cauillatio*, ſubdola ratio; ſiquidem ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes diſputatio tua perducitur. Etenim dum ſcribis, *quod eſt per ſe cauſſa vitæ, non poteſt per ſe eſſe cauſſa mortis*, vera dicis: nam idem ſecundum idem non poteſt duo contraria præſtare: at grauiditas recta, & grauiditas inrecta minime vnum ſunt & idem: ſed duo, & duo pene contraria, & propterea diuerſorum effectuum cauſſæ & principia. Et debes animaduertere, hic (doctiſſime vir) grauiditatem ipſam minime ſumi noſtro in caſu pro ſimplici fœtus geſtatione; quia ſic ſemper vna & eadem eſſet: at ſumitur & æſtimatur cum ſuis annexis, cum corporis ſcil. habitu, ſeu ſtatu, conſtitutioneq; tum præſente, quæ ab ipſamet grauiditate nexa eſt & pendet. Vnde in tua argumentatione aſſumis facie, euidentia vera; ſed re falſa: Videtur enim ſemper vna grauiditas, & idem vitæ, ſeu ſalutis (vt tu ais) principiũ: cùm

tamen non ita ſit. Quocirca ignis ſimilitudo impar eſt ad confirmandum tuum conſilium; quia ignis ſemper idem, ſemper calefacit, nec alia vi pollet; grauiditas vero, noſtro modo accepta, nunc ad ſalutem eſt, proſpera, naturalis: nunc inſidioſa, mala, & ægritudini fomenta præſtans: dum ſcilicet iuſtam vel iniuſtam ſemet ipſa præbet, & aſſerit effectu. Neque grauis & anceps grauiditas eſt id, quod morbum generat, quod interficit; verùm morbus eſt id, cui actio, & molimen primo tribui debet: Et humor in grauiditate aceruatus eſt, qui morbum generat, & conſtituit. Vnde grauiditas diuerſis rationibus dicitur tum materia morbi, vel mortis, tum efficiens, ſeu principale mouens: Mors euenit à morbo, morbus ex imbecillitate corporis, ſeu copia, vel mala qualitate humorum, humores fiunt coadiuuante, & cogente grauiditate: & propterea à primo ad vltimum grauiditas videtur cauſſa morbi & mortis: confunditur enim hic grauiditas cum morbo, humore, corporis paratu, & paribus. Videtur enim grauiditas cauſſa ſine qua non; ſed non talis ſimpliciter; verùm quæ fomenta, & adminicula inſimul vnà præſtet, actioniſve generationis ſit principium· nam nõ fieret mors, morbus non euaderet lethalis citra grauiditatem, qua morbus nutritur, ſeu per quam ſubſiſtit, & irritatur: quaſi morbi additamentum, à grauiditatis incõmodis ortum, ſit nouiſſima, potiſſima cauſſa iſtius mortis. Iure itaq; in his periculis, in ſimili morte ſuſpicio noſtra culpat grauiditatem, abortum, vel partum. Cur aſſidua eſt vel ſaltem crebra mors in grauidis, vel abortientibus, ſeu parientibus; ac tam in ipſa partutigine, quàm in reliquo puerperii tempore? cur ipſi contrahentes ſuſpectãt mortem ex grauiditate, vel partu, ſeu cauſſa grauiditatis & partus, vt illam in contractibus ſuis excipiant? niſi propter miſeram conditionem, & ſortem grauidarum, & partum agentium, in quibus *ἀδυναμία ἢ ἀσθένεια imbecillitas*, paratus, & inclinatio ad morbum, & morbum crebro minitantem exitiũ: Neq; nouum eſt penes Medicos incuſare, & excuſare materiæ diſpoſitionẽ in actione, quæ fit, vel non fit. Podagra cur nõ fit mulieribus, eunuchis, & pueris iuxta Hipp. ſententiam, vel ſi fit, fit raro, & magnis cauſſis? quia deeſt *ἀδυναμία*, materiæ inclinatio & paratus. Cur paruis & nuper natis puerulis cõtingunt oris vlcera *αἱ ἄφθαι*, vomitus, tuſſes, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, & auriũ humiditates; ceteris.

Cur mulieres, eunuchi, & pueri non laborent podagra.

Cur puerulis contingãt oris vlcera, vomitus, tuſſes &c.

teris autem non ita? propter parem, licet contrar'am, cauſſam, quæ materiæ, vel corporis, ac ætatis eſt diſpoſitio, arceſſens, & ſponte ſumens prædictos morbos. Cur tandem à Vergiliis vſq; Zephyrum, qui morbis longis laborant, tollũtur è medio & ſenes magis, quàm iuuenes? Pari cauſſa, ob ἀσθένιαν ſcil. *impotentiam*, ob materiæ diſpoſitionem, & corporis paratum, qui periculum habentibus ipſummet faceſſit, & molitor necis exiſtit.

Octaua concluſio eſt pariter contra noſtram determinationem: Sed ipſi argumento, quo theſim ſeu concluſionem probas, iam plene ſatisfactum eſt. Putas cauſſas externas animanti mortem inferre poſſe, citra internarum auxilium, & conſpirationem; quod falſum, iuxta Hippocratis & Galeni doctrinã. Poſſunt, ſi validiſſimæ, ſi contumaces, ſi veneni vim & robur habeant, vel æmulentur; alioquin ſunt inſufficientes, inualidæ: quoniam, vt dicebat Auerrhoes, non ſunt neceſſariæ in omni homine: Si decem homines ex. g. demorentur ſub ſole, & vnus intereat, Medici, qui artifices eruditi, non minus culpant paratum & diſpoſitionem illius culpati corporis, quàm vim ſolis: Cæteri quidem ſpectant, quæ coràm habentur morborum cauſſæ: at Medici & ſapientiæ profeſſores abdita etiam & occulta exquirunt, & introſpiciunt, ſciuntq; vltro quod eorum vitio accidit, meritò externæ cauſſæ eueniſſe vulgus cenſere; & caſum etiam in culpam tranſire: id enim familiare eſt idiotis, vitia intrinſeca, ac fortuita ad cauſſas manifeſtas dirigere. Et ideo in propoſito (vt progrediamur ad vlteriora) ſi vel animi affectus, vel praua temporalis conſtitutio (nam de epidemica alia eſt ratio) vel intempeſtiuus, ſeu improbus cibatus, quæ omnia Hipp. & Gal. cõprehendere ſoliti ſunt ſub nomine τ῀ προφάσιος & leuium cauſſarum, accedant puerperæ, vel grauidæ; arguimus, & incuſamus corporis diſpoſitionẽ cacochymiam, continuam partus, grauiditatis; quia illæ cauſſæ non ſunt neceſſariæ, & valentes in omni grauida, vel partum agente. In dubio etiam, vbi par vis ſit in interna atq; externa cauſſa, vbi, inquam, diſpoſitionem, & externam cauſſam iuxtà ambig'mus, æq; miſcentur, & animus hæret; ſuſpicio tamen noſtra magis incl nat ad cauſſam intern m: quoniam externa impetu tantùm valuit, & velut fulmen percuſſit, abiit: at interna cum ſuis ſignis, quæ non ſinit vireſcere ipſam miſeram fœtam; quia iterat, cõ-

T 2

tinenter affligit, pertinax, ſub oculis, & in oculis, ideo rea & damnata. Et illa mulier, penes Hippocratem, abs te aduerſus noſtram determinationem obducta, quæ periit (vt legitur) intempeſtiua cœna, illud paſſa, nedum illa leuicula cauſſa; ſed faciente, & palàm fauente corporis improba diſpoſitione, ob quam iam mulier in vicinia mortis; licet lubrica conſiſtebat. Id totum conſpicuum etiam magis fit auctoritate Galeni *1. Prorr. 8.* quo loco aperte fatetur, læſiones temporarias, vi cauſſarum externarum accedētes extreme imbecillibus, eſſe quidem noxias ac periculoſas; ſed nequaquā lethales. Quod ſi forte fortuna euadant etiam lethales, erit ob corporis patientis diſpoſitionem; quandoquidem in illis nō eſt vis cum pertinacia: impetum habent, ſed breuem, nec duraturum. Et hoc eſt, quod aliàs adnotauimus: nimirum præſtantiam actionis potius attribuendam eſſe materiæ diſpoſitioni, quàm efficienti principio: nam cauſſa efficiens, ſæpe leuis, ac momentaria, efficaciter agit, & admirabilem effectum edit coadiuuāte, imò cogente, vt ſic dicam, materiæ diſpoſitione, quæ ſe præbet illi efficiēti principio. Planùm illud. *Et ægra corpora, minima interdum mergit acceſsio.* Vnde vitium affixum grauidis, & partum agitantibus acceſſit, & ſponte ſumit morbum, & conceptum maligne alit. Audi Galenum, præter loca aliàs hac de re citata, de inualida vi externæ cauſſæ ſeriò loquentem *1. in 3. Epid. 15. ſiquidem,* ait, *quædam ſunt, quæ ad corpus ſi acceſſerint morbo opportunum, totius cauſſam morbi exiſtimantur ſuſtinere.* Et quod de cauſſa morborum affirmat Galenus, par eſt de cauſſa mortis. Quaſi cogitatio, & prudentia noſtra, in hoc ſemet decipiat, & potiſſimam cauſſam morbi, vel mortis ſic obuio & ſimplici ſenſu cum vulgo ſtatuat id, quod per ſe, manifeſte, & efficaciter lædere haud valet. Id totum palam fecit idem Galenus in Sileno illis verbis.

Neque hoc loco prætereundum id mihi eſt, quod & melius eſt, quod etiam ſæpe diximus aliàs, vbi quis manifeſtis ex cauſſis febricitare cœperit, ſiquidem nequaquam ſit morbo corpus opportunum, diaria corripi febre. Atque prorſus in Sileno id accidiſſet, qui ex laſsitudinibus, potationibus, & exercitationibus intempeſtiuis erat correptus febre, niſi corpus iam ad morbum eſſet comparatum: quod cognoſces ſymptomatibus & ſignis, quæ primo ſtatim die, & ſecundo apparebant. Par & illud eiuſdem Galeni *ſub initio libri de Cau. Proc. Nullus etenim, qui bono conſtet corporis habitu, ſi vel [illegible] frigeat,*

geat, vel calore æſtuet, vel præter modum exerceatur, vel triſtitia, vel alia huiuſmodi re afficiatur, ſtatim etiam ægrotat. Sed huius generis cauſſæ ſola inualida corpora commouent, & inde (vt quidem arbitror) præſtita ſunt ſophiſtis occaſiones argumentorum, dum probare nituntur, quod ſi aliquando non obſunt, non ſunt etiam, quum imbecilles tangunt, pro veris cauſſis habendæ.

Non equidem reiicio ipſe temere huiuſmodi cauſſas; ſed diffido crebro, & ſubſiſto; vt in præſenti re. Verùm cur Hipp. inquies, ita creber incuſat cauſſam externã? forſan quia Empiricũ agebat: Vnde Celſus ait, hoc propoſito, vulgus eaſmet cauſſas externas ſectari, & Vetuſtiſſimos ſolas animaduertiſſe, obſcuris ab arte reiectis. Galenus tamen, dum explicat hiſtorias Hippocratis, contra in internas cauſſas inquirit, & earum vim ponderat, neglectis leuibus occaſionibus, ſtructos iam, ſed tacitos morbos euocantibus. Quamquam obſeruo etiam Hippocratem adferre nonnulla, non vt cauſſas; quin vt initia morborum, vel certe vt occaſiones denotantes tempus, in quo morbus ortus, vel exacerbatus. Dicam verbo, ab externis paribus cauſſis, quæ ſint citra diuturnitatem ſeu vim veneni, accedunt nobis mortalibus morbi, non hærent; & ſi qui hæreat, magis internam, quàm externam exprimunt & imitantur cauſſam, veluti principium. Atque hæ ſunt præcipuæ rationes, quibus putas deiicere noſtram opinionem, quam nos probabiliorem tamen manere putamus.

Confers tandem ſermonem tuum, vt reliqua deſtinata componam, ad noſtra fundamenta, ad auctoritates, & rationes, quibus innititur aſſerta opinio. Et in Reſponſione ad primã noſtram rationem (vt tu loqueris) nihil fere obſeruo, quod officiat rei noſtræ. Non enim ipſe ſtatuo, omnes grauidas morbo acuto laborantes interire; ſed multas, haſque culpa & vitio grauiditatis ægritudinem exaſperantis, & intendentis; Et propterea nihil determinationi meæ obeſt, quod mulier illa decumbens in littore, trimeſtri fœtu grauida, & morbo acuto implicita, abſque abortione iudicata ſit: quoniam ſat eſt, alias quamplurimas ex ſimili periculo interiiſſe; quod vſu eueniſſe, conſtat experientia, & variis ſcriptorum auctoritatibus. Neque putamus nos, grauiditatem eſſe mortis cauſſam, vnde principium motus; ſed cauſſam coadiutricem; ſine qua non fieret mors, ſine qua morbus minime euaderet lethalis.

In cæteris Reſponſionib. nullum aliud nouum argumenti robur obſeruo & deprehendo, niſi id, quod in puerperis, quibus facilis & planus fuit partus, ſæpe temporis tractu ſupprimuntur puerperia (quemadmodũ tu aſſeris) vel ob craſſitiem ſanguinis, vel alia cauſſa interna, ſeu externa quo tempore & caſu partus culpari ex tui ſententia iuſte fere nequit, quod is fuerit facilis, vti dicebã, ac planus. Cui inſtantiæ ipſe iterùm reſpondeo, facilitatẽ & indolentiã partus non ſemper plenam eiuſdem partus rectitudinem, & integritatem atteſtari & aſſerere, quod experientia conſtat, & doctrinæ plane fatentur. Præterea puerperia rarò ob ſolam craſſitiem ſanguinis conſiſtũt & ſupprimuntur; ſed vnà accedit debilitas & vitium corporis enixæ: præter quod craſſities talis vltro poteſt ſtatui vitium & ſoboles grauiditatis eo modo, quo *ſuperius* dictũ eſt, acceptæ. Tandem morbus, qui manat, & ortum ducit ab illa ſuppreſſione, & acutus cenſetur, impar fit enixæ viribus. Nam enixæ etiam in partu naturali, & plano vim patiuntur; & corporis vires antegreſſa grauiditate, & partus conatu, vexatione, labore, defatigationeq;, animum, & corpus premente, in parte, reſoluuntur, & obnoxiæ degunt; ob quod puerperæ in languore aut morbo diu manent feſſæ, & lecto affixæ. Rureſtres, & agreſtes mulieres, quæque corpora opere ac vero labore durant, crebrò facile pariunt, & leui, breuique cura focillantur, robur, & vires nouas ſumunt. Si hæ ægrotent à partu ob errorem externum, morbo ipſo accedente intra limites partus, & temporis puerperiarum purgationum; tunc culparem partum: ſi verò recte & ex præſcripto naturæ iam purgatæ mulieri, vegetæ item, & ad actiones obeundas idoneæ ſimiliter redditæ idem infortunium contingat, feroci cauſſa externa vigente, prementeque; & mors ſubſequatur; eo caſu non ita facile grauiditatem, vel partum arguerem, & incuſarem; etiam non exactis perfectè illis triginta, vel quadraginta partus ſolitis diebus: Quòd laborioſæ, & duræ mulieres parciùs purgentur, minus laboribus partus ſuccumbant, & breuiori tempore, vt *antea* innuimus, focillentur, ac priſtinum robur reſumant.

Quantum ſpectat ad auctoritates Hippocraticas, quas tu putas refragari potius noſtræ ſententiæ, quàm ſuffragari; res non me capit, nec plane ἀλόγως. Nam tu, mi Doctor, ſupponis inprimis vnum

falſum:

falſum: videlicet Philini vxorem in morbum, & morbum lethalem incidiſſe ob cauſſas diſcretas, ſeparataſque à grauiditate, & partu. Et venis in hanc ſententiam propter verba illa Hippocratis: *Et ſecundùm naturam purgatione facta, & cùm alia leuiter tranſegiſſet, exactis quatuordecim diebus à partu, ignis ipſam corripuit.* Suppreſſæ huic ſunt mox purgationes, ac reliqua prænarrata ſymptomata euenere, non minus vitio, & culpa grauiditatis, & partus, quam cauſſarum externarum, frigoris, & conſtitutionis tunc præſentis. Partus enim hic fuit vnus ex illis, qui iuſti vultum & ſpeciem habent, cùm reuera ſint peſſimi: videntur naturales, ſed videntur; faciles, rectos ſemet ipſi præbent; at παρὰ λόγον *immerito.* Non ſecus ac quidam morbi, qui immeritò, non bona fide remittunt, vel intermittunt πάντα ἔδοξε κουφισθῆναι, dicere ſolitus eſt Hipp. *videntur* ſeu potius *viſa ſunt cuncta remiſſa*, mox in deterius morbus, ingenti ruina, ſeu ob debilitatem corporis languentis, ſeu ob variorum humorum congeriem collectam, vel excurſum ad partes principes, aut ſimili cauſſa, labitur, & multoties ex inopinato. Conſimilis exſtitit diſpoſitio grauiditatis, tum & partus illius miſeræ vxoris Philini. Viſa eſt iſthæc mulier recte habuiſſe; κατὰ λόγον *merito*, opportune purgata eſt aduſq; decimam quartam partus diem; cętera pariter leui tolerantia tranſegit, nec mutauit; mox cùm minime exſpectaſſes, κάθαρσις ἐπαύσατο, *i. ceſſauit purgatio*; primùm, vt credidit Galenus; vel ignis prius ipſam corripuit, vt in enarratione habetur; quod omne infauſtum. Nam bona ſunt, nedum quæ apparent, & videntur; ſed quæ hærent, manent, & perſeuerant. Et deſiit illi primùm purgatio, vel facta antè febris, non tam vi & robore cauſſæ externæ, conſtitutionis ſcilicet illius inuagantis, quàm culpa vitii, quod grauiditati, & partui ſuberat, non dum antea cognitum plene & deprehenſum. Cur infeſta erat grauidis & partum agentibus, numine priuato, illa conſtitutio aquilonaris ſubſequens ad auſtralem? propter quid vitii, quod ſeorſum inerat illis: Nam quemadmodum in non grauidis, & vacuis, eſt aliquid, quod obſiſtit & repugnat tali conſtitutioni; ſic in grauidis & enixis fauor eſt, & inclinatio materiæ; quòd exhauſtæ, attenuatæq; omni tempore illæ exiſtant, & prauo humore refertæ: Nos autem culpamus materiam, quæ ſe præbet & conſentit efficienti principio, quia penes ipſam cupiditas eſt actionis, initium, &.

cauſſa præcipua periculi. Dromeadæ pariter coniux, (quæ cùm partum agitaret, ægrotauit identidem ſub illa eadem conſtitutione) etſi priora illi partui ſollennia, neceſſaria, conſequa κατὰ λόγον *ſecundum rationem ei* contigerint; nihilominus ſecunda die à partu cœpit ægrotare, febricitare; *& cùm nulla cauſſa externa præceſſerit, non poſſumus imaginari aliud*, inquiunt doctiſſimi viri Hieronymus Mercurialis præceptor, & Franciſcus Valleſius, *niſi corpus huius mulieris fuiſſe prauis, & crudis ſuccis repletum, ac puerperia deſiiſſe.* Quid igitur culpandum? ad quamnam cauſſam error & facinus deducendum? ad grauiditatem primùm, quæ tulit præcipitis morbi materiē, humores, dico, copia, & pernicie immanes; ſecundò ad partum, qui ſpecie iuſti, nouis incommodis, quod lateret anguis in herba, afflictionem addidit afflictæ. Debilitantur enim, langueſcunt fœminæ, nedum in ipſa partus vexatione τῇ ὠδῖνι Græcis dicta, parturiginis conatu; ſed reliquo etiam puerperii tempore, maxime primis diebus. Non motum, non quietem tolerant, ipſas noctes inſomnes plurimùm tranſigunt: hinc morbi ſubſiliunt, euocantur, & euocati incommodis partus ſe produnt, ac pernicie languentium manifeſtant. Imo id perpetuum eſt in omni intemperata, vel epidemica conſtitutione, dum publice nimirum languor, & morbus vigent; vt prægnantes & fœtæ promptius cæteris in morbos labantur: & quod ſcateant humoribus, & quod corpora ipſarum ob fœtum calidiora ſint: Vnde facile ſubmittunt ſe externæ cauſſæ, vitio infectæ, hacque coguntur.

Cur grauidæ citius inficiūtur morbis epidemicis.

Et quamuis præpoſitio ſeu particula illa Græca, ἐξ, ſeu, ἐκ, *ex*, penes Hippocratē denotet ſæpe cauſſam, ex qua principium motus, & cui vere tribui debet actio & molimen. Vt patet *2. in 3. Epid. ægroto 10. & 11.* vbi de re noſtra agitur, & bis ait Hipp. γυναῖκα ἐξ ἀποφθορῆς πῦρ ἔλαβεν *ex abortu mulierem ignis ſeu ingens febris cepit*: Attamen non ſemper illa ipſa particula denotatur tale principium motus; ſed aliàs vtitur Hipp. τῷ ῥήματι *verbo* citra præpoſitionem. Et ideò (vt ab argumento noſtro non recedamus) ſæpe ait, ἔτικεν ἄρσεν ἢ θυγατέρα *peperit, enixa eſt maſculum vel fœminam.* Nec denominatiue, vt loquuntur, hæc talia grauiditas, nempe, abortus, partus, (vt tua eſt ſuſpicio) ponuntur; vti hortus, murus, aqua frigida, & pariaſ imò vt cauſſa morborum, & effectuum morbum ipſum inſequentium;

cùm ſuper hæc, vt ait Galenus, nulla alia cauſſa afferatur, & incuſetur. Quapropter vti in multis hiſtoriis adponit cauſſas externas, ſic in caſibus narratis in illas non inquirit, nec vim earumdem explorat, ac ponderat: ſed talia prætermittit, negligit: Quoniam partus, & grauiditas vniuerſam culpam ad ſe trahunt. Vis dicam libere, & paucis verbis? timent contrahentes officiorum ſocietates mortem in grauida, vel partum agente, illamque excipiunt in contractibus, nedum quia grauiditas, abortus, vel partus crebro ſunt veluti principium, & prima cauſſa, vnde motus; verùm etiam quia huiuſmodi talia ob incommoda, quæ ſecum ducunt, reddunt valetudinem fluxam, lubricam, minimeq; aduerſus pericula contumacem; ſed κτ͂ χέιον, vt Græci appellant, obnoxiam vel leui cauſſæ morbificæ, & aptam excipiendæ morti: Etenim ſuſpectantes pericula æque attent, & ambigunt diſpoſitionem & apparatum materiæ ſubiicientis, atq; cauſſas efficientes & vnde primùm motus. Et ob id Plutarchus monebat hoc propoſito, filios podagricorum, ſtatim atq; nati ſunt, curandos eſſe: id eſt, amouendam eſſe illam hæreditariam promptitudinem ad excipiendam podagram, quòd cuilibet vel leui cauſſæ agenti illa ipſa opportuna ſit, & apta morbi materies. Neq; penes Hippocratem, & cæteros Medicos particula illa eadem, *ex* (vt id pariter prædictis annectam) denotat ſemper cauſſam poſteriorem, & immediatam, vti apud Iureperitos, regulariter ſaltem, interprete Baldo, ſed præcipuam, vt proxime dicebam, ſiue hæc immediata, ſiue mediata exiſtat. Etenim dum *1. Aph. 12. & alibi* ſcribitur, recidiuas fieri *ex reliquiis humorum poſt criſim in corpore relictorum*, manifeſte denotatur & exprimitur mediata cauſſa; licet præcipua: Nam fiunt recidiuæ ex reliquiis, non tanquam ex poſteriore; ſed tanquam ex præcipua cauſſa: ſiquidē externæ, & nouæ cauſſæ mouent; etſi principaliter minus, antiquum humorem. Et eſt id, quod notatum fuit ex Auic. nimirum recidiuationes fieri ex reliquiis humorum, & neglecta inſuper crebro regiminis rectificatione. Podagra, vt dicebamus, fit ex hæreditate paterna, vel materna; verùm mouente eodem puncto alia cauſſa poſteriore. Fit idem morbus ex habitu vir li corporis tanquam ex cauſſa præcipua quidem, at non vere immediata. Et ſic in paribus. Et hoc eſt illud, quod ſuperaddūt recentiores Iuriſperiti videlic. cauſſam poſteriorem & immedia- *Recidiuæ unde.*

V

tam nō ſemper eſſe veram cauſſam; quin potius ſæpe leuiter, & imperfecte mouere, atq; irritare præcipuam, & accelerare duntaxat effectum, occaſioniſq; naturam mere ſapere, & æmulari.

Atque ſic facile ſoluuntur reliqua tua argumenta, & paria, quæ inpoſterum excogitari poſſunt. Ægrotant, moriuntur grauidæ, & partum agentes ſub intemperatis conſtitutionibus, quod tu iterùm obiicis, non minùs vitio interno, quàm externo; imò magis interno: quandoquidem de valetudine, ac corpore prægnantis illud poteſt affirmari, quod Sophocles dicebat de corpore ſenum:

Σμικρὰ παλαιὰ σώματ᾽ εὐνάζει ῥοπή:

Pulſu leui iacent vetuſta corpora.

Sic in grauida, & partum agitante: Quæ ob id grauatè & ægrè ferūt hyemis rigorem, nimios imbres, feruores, intemperantiam cœli; grauatiùs & ægriùs adhuc morbos, aduerſus quos conſiſtere nequeunt; quin potius debilitantur, franguntur, ſuccumbunt. Quocirca Epicratis vxor, abs te pariter commemorata, & fœta agebat, ægrotauit non vna cœli, & aeris incommoda conſtitutione; atqui ob humores tum aceruatos in ipſamet grauiditate, & vitio grauiditatis, tum ſolitis eiuſdem grauiditatis læſionibus & imbecillitatibus commotos: Reliqua enim adeo debiliter mouent, & conſpirant ad actionem, vt merito aſpernantur, poſtponantur, & negligantur. Iure itaque in priori; imò communi opinione firmor, cunctis diſputationum nebulis ſic & veritatis, & ſolutionis argumentorum ſole depulſis: Firmor, inquam, non modo ob prædicta; ſed etiam quoniam multum dare ſolemus præſumptioni omnium hominum, id eſt præceptæ opinioni πρόληψις. Apud nos veritatis argumētum eſt, & meritò; nā ipſa veritas Græcis dicta eſt ἀλήθεια, ὡς τὸ μὴ λῆθον *quod non lateat*, ſitque omnibus nota. Nec animus mihi fuit tibi viro doctiſſimo contradicendi; abſit, ſed quæ ſunt veritati ſtruendæ, & eruendæ, ea ipſa liberè ſic dedi. Inpoſterum de me illud Tullianum habe, *cedo, eia manum tollo*: Nec tecum vel cum aliis conſiſtam. Et eò libētiùs, quoniam in huiuſmodi Scriptionibus neceſſe eſt multa repetere, tradita inculcare, ad meraſq; ineptias, nugaſve, quò facile ἀμφισβήτησις καὶ ζήτημα *contentio & diſputatio* ducunt, delabi; ac velut confuſum, etiam materiæ, & librorum indecora diſpoſitione auctorem ſemet præbere. Appoſui meum nomen Scripto, caſu, nō edendi